HISTORIA MEDICA
BIENNALIS
MORBORUM RURALIUM,

QUI

A VERNO TEMPORE ANNI MDCCLIX.
USQUE AD FINEM HYEMIS ANNI MDCCLXI.
LAXENBURGI ET IN VICINIS UNDIQUE OPPIDIS,
PAGISQUE DOMINATI SUNT;

COMPLECTENS

MEMORABILEM, RARIOREMQUE FEBRIUM
INTERMITTENTIUM ET DE EARUM GENERE REMITTENTIUM EPIDEMIAM,

AUTHORE

FRANC. JOSEPHO LAUTTER,
MEDICINÆ DOCTORE ET CÆS. REG. LAXENBURGENSI PHYSICO.



VINDOBONÆ,

TYPIS JOAN. THOMÆ TRATTNER,
CÆS. REG. APOST. MAJEST. AULÆ TYPOGR.
ET BILIOPOL. ANNO MDCCLXI.

VIRO

ILLUSTRISSIMO

GERARDO

L.B. VAN SWIETEN,

AUGUSTISSIMI IMPERATORIS ET IMPERATRICIS A CONSILIIS, ARCHIATROR. COMITI, BIBLIOTHECÆ AUGUSTÆ PRÆFECTO, INCLYT. FACULT. MEDIC. VIENN. PRÆSIDI PERPETUO, NEC NON ACADEMIÆ REG. SCIENT ET CHIR. PARIS. INSTITUT. BONONIENS. ET LITER. INCOGNITOR. MEMBRO &c.

Has praxeos primitias,
Seque totum devovet.

FRANC. JOSEPHUS
LAUTTER.



TUO NOMINI hunc ut libellum inſcribam, grati animi a me exigit pietas; TUO NOMINE ut eundem illuſtrem, levidenſes paginæ deſidérant.

Memorem animum præter communia, quæ multorum jam ore celebrata, omnium vero pectore æter-

ternum ſunt recondita, privata quoque benigne in me collata, provocant beneficia. TU enim præclara de me opinione AUGUSTISSIMÆ animum imbuiſti, ac præoccupaſti, immeritis meam in Arte Medica peritiam laudibus extuliſti, nervoſe adeo me commendaſti, ut ſingulares jam illas, ſummaſque Gratias, quibus

AU-

AUGUSTISSIMA IMPERATRIX, DOMINA MEA CLEMENTISSIMA ornare me, gratiosissime dignata est, Commendationis TUÆ effectum esse, evidenter agnoscam, grata mente profitear.

Quo vero doctiore Mæcenate, potentioreque Protectore hunc fœtum meum, lucem anxia cum formidine

opperientem, providere poſſem **TE**, *Quem Orbis Medicus ut Illuſtre Lumen admiratur*, **TE**, *de quo tot Literatorum Virorum Erudita Collegia ut Digniſſimo Membro ſibi congratulantur*, **TE**, *quo CÆS. REG. APOSTOL. MAJESATES, TOTAQUE AUGUSTISSIMA FAMILIA, tot jam ab annis ut*

Vi-

Vigilantiſſimo Archiatrorum Comite lætantur, TE, Quo Inclyta Facultas Medica Viennenſis ut Hippocraticæ Medicinæ Reſtauratore, & perpetuo, ac Incomparabili Præſule gloriatur, TE demum, Quem Æſculapiæ Artis Tyrones ut ſapientiſſimum, Providentiſſimumque Parentem merito colant, atque venerentur.

Pa-

Patere igitur Vir ILLUSTRISSIME! hasce paginas, grati animi testes, TUO NOMINE illustres, Luce publica frui. Extremam TIBI viridis senectutis metam largiatur Omnipotens. TU vero gratiis me TUIS nunquam non dignare, benigneque prosequere.

PRÆ-



PRÆFATIO.

Ex Obſervationibus Medicina nata eſt, Obſervationibus adolevit, Obſervationes robur maſculum addidere, & majorem certitudinem.

Quum vero Obſervationum Fodina inexhauſta ſit NATURÆ abyſſus, tres inde, & inconcuſſæ quidem Veritates reſultant: Primo nunquam nobis defore hauriendarum Obſervationum materiem; ſecundo, non unius hominis, ſed infinitorum unitam ad id requiri operam; tertio, ad altiorem indies ſoliditatis, præſtantiæ, & perfectionis gradum Artem noſtram ideo poſſe pervenire.

At-

Atque ista me impulerunt momenta, ut, dum innumeros in fodiendo hoc Isthmo inexplicabili ardore insudantes, intueor, parili excitatus stimulo, meam quoque hac in re symbolam,

quantumvis norim, quam sit
mihi curta supellex,

pro virili conferre, allaborarem.

Constitui itaque, qui in clinica nostra Praxi occurrerent, Morborum Historiam, simplici veritate recensere: ne tamen hoc scribendi genus nimia ariditate, ac brevitate displiceat, de illis morbis, qui Epidemium tenerent prædominium, paulo uberius differere, visum est.

Biennale vero selegi spatium, tum quod exiguum lucubrationibus ab operosa praxi relinquatur otium, tum


tum quod de epidemicorum Affectuum periodo, binnorum annorum intervallo, certiora constent, tum denique, quod Typis mandare conscripta, mihi, utpote rusticanti, plus longe negotii facessat, & difficultatis.

Enim vero, cum primi, de quo scribere intendo, biennii FEBRES INTERMITTENTES, & de earum genere remittentes, sibi vendicarint dominium, præmissa generali constitutionis totius historia, specialius nonnihil de Febribus memoratis hoc ordine agam, ut primo Capite morbos, qui a Verno Tempore Anni 1759. ad Finem usque Hyemis An. 1761. Laxenburgum, & ejus viciniam infestarunt, rudi calamo depingam; Capite altero notabiliores aliquos perniciosarum harum Febrium casus referam; tertio Corollaria

quæ-

quædam ex epidemica illarum Febrium Conſtitutione deducam; quarto Diagnoſtica graviſſimarum ejuſmodi, tectarumque Febrium ſigna dijudicem; quinto demum Capite in Cauſas noſtræ hujus Epidemiæ inquiram: adjungens in fine nonnulla de Peruviano Cortice, vel hodiernis quibusdam Medicis ſuſpecto, ideoque vel maxime inviſo.

Facilem denique Te requiro L. B. Si barbaræ quædam, & adulterinæ voces Tuas aures hinc inde offendant. Ut taceam reliquas, frequenter occurret Falconarii vocabulum, quo eos denominare volui Venatores, qui Falcones ad Ardearum, aliarumque avium rapacium, ut & Leporum, Anatumque paluſtrium venatum condocefaciunt. Solœciſmo enim potius, quam nauſeoſa ſæpius Paraphraſi malui diſplicere.



CAPUT I.

Historia Generalis Morborum, qui a verno tempore anni 1759. ad finem usque hyemis anni. 1761. dominati sunt.



Binis jam ante annis, quam hic locorum, faventibus meis superioribus, mihi nunquam non venerandis, & annuente IMPERATRICE AUGUSTISSIMA, Medicinam exercere cœpi, an. nempe 1757. & 58. totam undique viciniam dire depopulatæ sunt Febres acutæ, generis varii, pessimi semper, miliaribus, atque petechiis stipatæ. Adulta æstate Anno 1757. exorsæ, latius per autumnum sparsæ, sævissime hyeme integra debacchatæ sunt. Vernis autem, primis-

que æstatis sequentis anni mensibus aliquantum conticescentes, eadem posthac cum ferocia revixerunt; & per autumni, brumæque totius decursum cum non exigua mortalium strage grassatæ, fugam sensim arripuerunt, ita ut, dum mense Majo An. 1759. egregio meo antecessori D. Fürst (qui posteaquam, durante hac Epidemia, multis centenis ægrotantibus, ad plures sæpe horas Laxenburgo dissitis, indefessam, & pœne incredibilem impendisset operam, ipse demum, ineunte Vere anni paulo ante memorati, infenso huic hominum hosti in deplorandam victimam, ac ultimum quasi pabulum cessit) sufficeret, non nisi funesta relicta vestigia hinc inde offenderem.

Intermittentes solummodo febres ea tempestate decurrebant. Ex his paucæ erant quartanæ, quotidianæ plures, tertianæ plurimæ, quæ tamen moris adeo benigni, tamque facile fugandæ ambulabant, ut vel solo meraco recentis hederæ terrestris infuso, in ἀπυρεξία, & frigoris stadio largiter hausto, sæpius terga dederint.

Appro-

Appropinquante vero æſtate deteriores paulo . contumacioresque evaſerunt; emetica enim, aut catharctica (prout ſymptomata præſentia, velut nauſea moleſta, vomitus difficilis, aut ventris inflationes, borborygmi, alvi fluor &c. indicabant) neceſſario poſtulare videbantur. Hiſce tamen evacuationibus celebratis, & paulo ante febris acceſſum finitis, utplurimum vel unice paruerunt. Pertinaciores tantum aliquæ ſalium neutrorum, ſalis ammoniaci, aut in decrepitis corporibus Peruviani corticis uſum extorſerunt.

Sic fere non niſi ſui copia notabiles hæ intermittentes morbis æſtivis locum ceſſerunt. Aſt priuſquam ſe ſubtraherent, in attentionem paulo majorem me excitavit ex tertiana aliqua, remittens potius, quam intermittens, quæ ſuis in acceſſionibus delirio, tremore valido, ac continuo, ſtupore, & ſomno fere apoplectico ſtipata, capite altero No. 1. enarrabitur. Prodromus hæc fuit, atque præcuſor gravis Epidemiæ febrium intermittentium, ſeu rectius

rectius de intermittentium genere remittentium, quæ diverſorum, ac perniciosiſſimorum morborum habitum ſæpius indutæ, magno cum ægrotantium periculo, integro fere biennio circum circa dominatæ ſunt.

Eam tamen ſuſpicionem tum minime fovebam, quod febres vere intermittentes eo tempore, uti mox monui, fere penitus auffugerent, & æſtivos jam morbos Diarrhææ, ac Dyſenteriæ conſtituerent. Multi ruricolarum, maxime vero meſſores graviter illis affligebantur. Evacuationes quippe erant enormes, haud raro cruentæ, cum torminibus validis, & difficili teneſmo. Ortum traxiſſe videntur a nimia ingurgitatione aquæ, hic locorum, præ primis Laxenburgi parum ſalubris, utpote turbidæ, multum fœculentæ, & ſulphur redolentis, qua ſitim, ex torrente ſolis æſtu immanem reſtinguere conabantur agricolæ, & meſſores, maxima nychthemeri parte æſtivo calori expoſiti. Nam ſi conſideremus, aquam de ſe turbidam, fœcibusque ſcatentem, ſo-

lis

lis calore tenuioribus diſſipatis, concentratis craſſioribus magis adhuc nocivam, & quod a domibus in diſtantes agros deportari debeat, tepidam fere redditam, in corpora, a ſudoribus pœne jugiter fluentibus exſiccata, copia maxima infundi, morbos ejuſmodi enaſci neceſſum erat. Vermes exigui, teretes, per alvum dyſentericam ab aliquibus excreti, dicta confirmant.

Utut autem copioſi, graveſque ſæpe numero hi morbi fuerint, facile tamen ſequenti methodo Sydenhami in omnibus ſublati ſunt. Quibus pulſus ſat fortis, & plenus adhuc micabat, vires non multum attritæ erant, Rheum ad drachmam mediam, aut ſcrupulos binos præbui, quod alterno mane ad tertiam ſubinde vicem repetebatur; at omni veſpera paregoricum exhibui: ſi vero vehementer proſtratæ eſſent vires, pulſus debilis, parvus; facies, corporisque habitus notabiliter collapſus, Laudanum liquidum Sydenhami ad guttas viginti cum drachmis duabus ſpiritus menthæ interpolatis vicibus ſumendum præmiſi. Induciarum

rum, quas ſic impetravi, intervallo jure carnium crebro reficiebatur æger; cura reliqua priori modo perficiebatur. Dum valida vexarent tormina, potus, qui alias ex ſpeciebus decocti antifebrilis coquebatur, jam ex emollientibus, ac demulcentibus herbis Althææ, Malvæ &c. parabatur, & Rheo æqualis quantitas Boli Armenæ addebatur. Deſiit ſic feliciter cum meſſi Auguſto menſe hoc morbi genus, finiente Junio enatum.

Sed urente adhuc Sirio, intermittentes, ſeu verius de intermittentium genere febres remittentes, caput altius, & pernicioſius extulerunt, dominium in hunc uſque diem exercentes. Tanta copia brevi tempore irruerunt illæ, ut, dum integras ſæpe familias, alternatim iis correptas, eos vero præcipue iiſdem omni ratione Febribus prehendi viderem, qui in eodem cum febricitantibus lecto dormirent, in ſuſpicionem communicati quaſi contagii adducerer. Verum cum accuratius poſtea in id animum adverterem deprehendi, rem illam vi ſubitæ potius,

tius, ac frequentia illarum febrium, quam morbi communicationi tribuendam fuiſſe; aut ſaltem hanc non niſi in primo Epidemiæ furore locum habuiſſe.

Principatum, ſive frequentiam ſpectes, ſive periculum tum hoc, de quo nunc ago, anno nempe 1759. tum ſequenti indubie tenuerunt Tertianæ tam ſimplices, quam duplicatæ; proximæ his fuerunt quotidianæ; rariores, nec tamen periculi expertes exſtiterunt quartanæ, bis quoque, anno proxime elapſo, quotidianam duplicatam obſervare licuit.

Quam de Variolis in benignas, conſuetasque, anomalas, pauloque graviores; peſſimas denique, atque malignas diſtinctionem fecit Sydenham, æquo ſane jure his quoque intermittentibus (quo ſub nomine febres non ſolum vere intermittentes ſed etiam de eorum familia remittentes comprehenſas ubique intelligo) applicare liceat. Nam quemadmodum Ille Variolas, quæ ſolita ſibi ſymptomata, moremque benignum gerebant, & fere ſolo naturæ molimine, abſque ma-

gno remediorum apparatu curabantur, benignas, regulares maxime, consuetasque appellavit; anomalas autem vocavit, quæ alienis quibusdam symptomatis stipatæ, & a consueta benignitate aliquantum recedentes, sine apta, & convienti medela haud impune decurrebant, ac medium quasi benignas inter, malignasque variolarum genus constituebant; ita & intermittentes illas, quæ verno tempore Anni 1759. præsentes, non nisi solita his morbis symptomata in tribus illis paroxysmi cujuslibet stadiis secum vel sponte, habebant, & vel levi artis adminiculo disparebant, benignas, consuetas & maxime regulares denomino; eas vero febres, quæ ab æstate illius anni fere media ad ver usque præsentis anni hic locorum grassabantur, anomalas, ac multo graviores nuncupare, sequentes me rationes impellunt.

I. Frigoris stadium, aliis exhorrescentiæ dictum, quod alias, & communiter a leviori horroris gradu ad rigorem plus minus vehementem ascendere, ac per horas sæpe, notabile

sal-

ſaltem horæ ſpatium ut plurimum perdurare ſolet, hic exigua tantum horripilatione, nec raro non niſi una, vel altera pandiculatione, & oſcitatione, aut formicationis frigidiuſculæ ſenſu cum unguium livore, & naſi apicis perfrigeratione conſtabat, atque plurimis momentaneum, perpaucis majoris fuit durationis, ita ut ægri principium ſolummodo conſueti alias frigoris ſtadii perſentiſcerent. 2do Calor mox ſubſequutus longe intenſior erat, quam in altero intermittentium ſtadio obſervari ſolet, ad ſenſum mordax, cum enormi capitis, artuumque dolore nunc pungente, nunc lancinante; παραφροσύνη ſiti maxima; inquietudine aſſidua, & jactationibus; anxietatibus; oſſium quaſi detolatorum interno, & dolorifico ſenſu, qui οϛεοκωπος Græcis dicitur; lingua alba, aut flava, ſicca, rigida; pulſu ſubduro, nauſea, vomitu difficili, aut crebra torminoſa dejectione &c. Durabat etiam plerumque per maximam nychthemeri partem, neque copioſo erumpente ſudore, & diu pro-

tracto, ſymptomata illa multum imminuebantur, ſed ad exacerbationis uſque finem valida perſeverabant. 3do Raro perfecta aderat ἀπυρεξία, verum medio quoque paroxyſmorum intervallo febricula continuabat; hinc & ſymptomata ſupra enarrata aſſiduo perſeverabant; licet multo mitiora, ita ut remittentes rectius has febres dixeris, quam intermittentes, harum tamen ex proſapia. 4to Virium jacturam longe majorem ægri: vel paucis paroxyſmis perfuncti, experiebantur, quam poſt plurium ſeptimanarum decurſum ex hujus generis febribus vix perferunt alias. 5to Familiares magis occurrebant anticipationes acceſſuum, adeo, ut, qui prima vice circa quintam v. c. veſpertinam ingreſſus eſt, tertia, quartave periodo jam ſexta matutina rediret: neque receptus morbi, aut mutatio in melius ſequebatur inde; verum æque gravis pergebat febris, donec arte fugaretur. 6to Denique frequentius ſolito vel ex levi in Diæta errore, quandoque ſine omni προφάσει, contingebant recidivæ, ſeu cortice,

tice, ſeu aliis remediis febris pulſa fuerit; binas ideo, ternaſque, aut in eaſdem febres, aut in congeneres pluries obſervavi recidivas.

Anomalæ hæ febres omne genus hominum, ſeu vitam duriorem, ac laborioſam, ſeu commodiorem, & quietam degentium, nullo facto diſcrimine infeſtarunt. Ætas nulla ab iis fuit immunis; vidi enim ſeptuagenarios, immo & octogenarios ſenes, graviter illis decumbentes; vidi & ſemeſtres iis correptos infantes, cujusmodi ſingulare exemplum hic lubuit inſerere. Semeſtris filiolus Falconarii cujuſdam (ſit venia voci barbaræ) Wurſt appellati, jam a primis vitæ menſibus calculi ſymptomatis vexatus, binos excrevit menſe Novembri, anni proxime elapſi, tunc quinquemeſtris, lapillos, minorem unum, majorem alterum, piſi mediocris magnitudine, politum undique, niſi una ex parte, qua angulus exiguus, ſed acutus prominuit. Phthyſin inde renalem contraxit. Huic incipiente Decembri ſe adjunxit intermittens, circa me-

meridiem cum oſcitatione una, alterave, quin vel minimum frigus in extremitatibus perciperetur, ingreſſa; mox ſequebatur ſpaſmus, quo valide adeo apprimebantur invicem ſupra gingivas tenella labia, ut, quamvis dentibus nondum illæ armatæ eſſent, ſanguis tamen undique in labiorum purpureorum ſuperficie tranſudare, ſoluto ſpaſmo manifeſto conſpiceretur. Hoc igitur ſymptoma, quod octavam horæ partem perduravit, cum oſcitationibus aliquibus ſtadium frigoris effecit. Calor poſtea vehemens exorſus, cum gemitu, & vagitu tenelli, inquietudine horas aliquot explevit. Paroxyſmum finiit levis ſudatiuncula. Cum tribus ſucceſſive diebus iiſdem fere horis hoc adverterent Parentes, ac Infantis cuſtos, quarta redeunte acceſſione, me vocant, ubi præſens antedicta ſpectavi, morbique hiſtoriam cognovi. Dedi igitur drachmam corticis in pluverem redacti, cujus ea, quam cultri apex capit, quantitas cum melle ter matutino tempore ingereretur. Sed media ſuffecit doſis, ut

cum

cum febre ſpaſmus penitus evaneſceret.

Multæ quoque gravidarum, atque vel ideo gravius febricitarunt. Tertiana gravi ejuſmodi menſe Auguſto An. 1759. decubuit uxor propria in tertium menſem utero gerens. Levem horrorem, & pandiculationes aliquas excipiebant mox animi deliquia iterata, dolor oſſium οςεωκωπος, præcipue, dum artus extendebantur, moleſtus, vomitus difficilis, calor inde enormis, mordax, capitis, lumborum, artuumque dolor lancinans, vehemens, ſudor demum profuſus, ſymptomata tamen memorata vix quidquam imminuens. Cum graves igitur, protracti (ſedecim namque horis inſiſtebant) & præſertim ob graviditatem periculoſi eſſent paroxyſmi, uncia integra corticis ſimul ac ſemel febrim confodi.

Cum anomalæ hæ intermittentes numeroſæ admodum fuerint, non tamen adeo periculoſæ, ut corticis uſum poſtularent illico, commodam arripui occaſionem, alia quoque experiundi re-

remedia; febrifugorum titulo donata. Atque in primis Cornachini Pulverem, qui & pulvis Comitis de Warwich, aut purgans febrifugum vocari ſolet, periclitari placuit. Duas tertias enim febrium eo ſanari memorat Helvetius in libro ſuo, Gallico indiomate conſcripto, *Recueil de methodes*; felici cum ſucceſſu ſe illo etiam in ſemitertianis uſum eſſe narrat Spigelius L. 3. C. 8. in quartanis popularibus egregie contuliſſe hunc pulverem Fonſeca refert Epiſt. 58. Multum quoque commendatur in febribus intermittentibus a Cornachino, Kergero, Franciſco de la Boeſylvio, Blegny, aliisque. Id me repetita docuerunt experimenta, cornachinum pulverem ſcrupulorum binorum, & ultra pro adulto doſi exhibitum, febrem multoties pepuliſſe: immo id quoque peculiare obſervavi, illum etiam, absque quod vel unica vice alvum ſolverit, ſubinde ne ſegnem quidem eam promoverit, ſuſtuliſſe has noſtras intermittentes.

Qua-

Quare non ſolum facultate purgante, qua ſaburram in primis viis peccantem, febris fomitem e corpore eliminat, ſed vi inſuper peculiari, ſcammonio propria in febres ejuſmodi agere videtur. Virtus autem hæc ſcammonii febrifuga in eo poſita, hinc & aliis purgantibus communis eſſe videtur, quod (uti celeberr. Boerhaave aſſerit Aphoris: de cognoſcend. & curand. Morbis §pho. 760.) ſtimuli inſtar ſyſtema nervoſum moveat, quod ILLUSTRISSIMUS Ejus COMMENTATOR uberius hoc modo exponit: ,, Videtur ergo horum remediorum) emeticorum nempe, & purgantium, inter quæ paulo ante ſcammonium adduxit:) actuoſitas in ſubtiliſſimo, & omnes fere ſenſus fugiente principio conſiſtere, illamque in humani corporis ſubtiliſſimum agere. Confirmatur hæc opinio ex eo, quod mobiliſſimæ in genere nervoſo fœminæ, & a leviſſimis cauſis ſpirituum ἀταξίᾳ laborantes viri hypochondriaci, a purgantibus, & emeticis peſſime affici ſoleant, etiam illo

„ lo tempore, dum hæc aſſumpta re-
„ media nondum fecerant illas eva-
„ cuationes, quibus aliter, inprimis
„ ſi copioſæ fuerint, hi tumultus
„ excitati adſcribi potuiſſent. Præ-
„ terea Opium tam efficaciter, & tam
„ certo ſpirituum turbas, & inordi-
„ natos motus compeſcens, æque ſe-
„ dat purgantium, & emeticorum
„ actiones, ut Sydenhamus obſerva-
„ vit; immo etiam opio aſſumpto pri-
„ us, ſi dentur purgantia, antequam
„ illius efficacia evanuerit, nihil omni-
„ no, vel ſaltem parum agere obſer-
„ vantur. Videntur ergo purgantia, &
„ emetica ſuo ſtimulo quandoque mu-
„ tare, imminuere, vel delere poſſe il-
„ lam diſpoſitionem (nervoſi nimirum
„ ſyſtematis), a qua febrium proxyſmi
„ renovantur; adeoque merito ad hunc
„ uſum adhiberi, quamvis non liquido
„ conſtet, quænam fuerit illa diſpoſi-
„ tio, vel quænam ſit illa mutatio, quæ
„ per hæc remedia in corpore contigit.

Robur huic opinioni vel inde quoque accedere videtur, quod ſæpius obſervaverim, Cornachini pulverem

febres

febres facilius, ac frequentius in junioribus, quam adultioribus corporibus domuiſſe; cum in illis ſyſtema nervoſum, uti irritabile magis eſt, & ſenſilius, ita mobilius exiſtit, & facilius mutabile. Neque tamen reticendum, laudatum hoc remedium febres haud raro ne vel minimum quidem loco movere, aut imminuere potuiſſe.

Alterum, quod ſæpe numero in uſum revocavi, decantatum febrifugum, Sal eſt ammoniacum, multiplici tum veterum, tum recentiorum experientia confirmatum, celebratum maxime Doctiſſ. Muyſio. Ad Drachmam binis vicibus paulo ante paroxyſmum exhibitum, ac ſubinde iteratum, multum ſane cohibuit febrium multitudinem. Magis autem juviſſe illud adverti in tertianis, etiam duplicatis, ut & quotidianis, minus in quartanis.

Alia non tentavi primo Epidemiæ anno ἀλεξιπύρετα; ſed febres, utroque memorato antea remedio ſuperiores, cortice quantocyus jugulavi. Hunc plerumque dedi pulverum forma aut in Electuarium redactum, rarius

in mixtura dilutum, ſive in ſubſtantia, ſive ejus extractum. Quibus alvus inde conſtipabatur, Rheum, aut ſalem polycreſtum optimo cum effectu addidi; ſi vero ſæpius, quam par erat, ab eo purgabantur, opium adjunxi. Frequentius autem alvus ſolutior, quam tardior ſequebatur a cortice, ita ut ter, quater de die cum euphoria, & febris receptu ægri dejicerent. Neque recidivas febrium, cortice expugnatarum expurgationibus brevi poſt, aut a Balneatoribus temere celebratis, aut a me ipſo gravi ex cauſa inſtitutis, accidiſſe memini; quare Sydenhami monitum neque ſemper, nec ubique locum obtinere videtur. Ad omnimodum febris exterminationem ſubinde uncia media (de adultis loquor) corticis ſufficiebat; plerumque tamen præcipue recidiva recurrente, uncia integra, aut ſeſqui altera requirebatur. Hisque ad febres ipſas debellandas uſus ſum.

Symptomatis vero, paroxyſmi tempore multum urgentibus, hoc modo occurri. Nauſeas, vomitusque difficiles, quæ licet iteratis vicibus

eme-

emeticum in ἀπυρεξία, vel rectius remissionis tempore sit exhibitum, exacerbationes tamen nunquam non comitabantur in ægrotantium multis, & perquam molestos reddebant, emplastro de Ladano, epigastrio applicito, ac diluente, nitroso decocto hordei copiose potato, plurimum cohibui; quandoque tamen opus fuit, Theriacam Andromachi extus admovere, quæ egregiam quoque operam præstitit, dum frequentes adessent dejectiones. Capitis dolores intensiores, ac παραφροσύνεν epispastico acri ex fermento panis acidi, aceto Vini, & sale communi, plantis pedum supposito, mirum levavi. Calorem, sitimque nimiam decocto antifebrili tenui, aut decocto hordei, quibus Spiritus Nitri dulcis addebatur, mitigare contendi.

Enim vero præter benignas illas, & maxime regulares intermittentes vernales, atque autumnales, non tantum ratione temporis, verum etiam de se graviores, & anomalas, tertia adhuc ejusmodi febrium species, altera an. 1759.

parte grassata est, quæ malignarum infame nomen æque merentur, ac pessimæ illæ apud Sydenhamum Variolæ. Febres enim erant vere remittentes, tertio, quartove paroxysmo gravissimis, ac periculosis admodum symptomatis stipatæ sæpe aliorum longe, eorumque acutissimorum instar morborum adortæ, nec nisi in decursu suo, exquisitissimoque examine dignoscendæ. Symptomata, quæ tertiæ, aut quartæ febris exacerbationi se inopinato associaverant, fuere stupor sensuum; affectus commatosus, *καρώδες*, fere apoplecticus; Deliria quasi phrenitica, ferocia; Tremores validi, assidui artuum, & linguæ; Anxietates circa vitalia immanes; Acutidolores lateris; Vomitus frequens, inanis, defatigans alvi fluor profusus, debilitans, dysentericus; Dolores Rheumatici vehementes, aliaque, ita ut modo plura, pauciora modo ex his ægrum divexarent. Dum vero peniciosissimorum morborum habitum indutæ, aggrediebantur hæ febres, neque lynceis oculis in principio distinguendæ, hor-

horrore exiguo præmisso, nunc calorem immanem accendendo, & acutissimum dolorem lateris cum tussi crebra, pulsu duro excitando, veram, sævamque pleuritidem omni ratione mentiebantur, & quod magis mirum est, ipse sanguis, vena iterato eductus, crustam densam lardaceam in supeficie gerebat: nunc simili caloris foco succenso, cum dolore lateris acuto, sed sine tussi, & respiratione multum læsa, aliam pleuritidis speciem, nescio, quo titulo rite insigniendam, simulabant, sanguine misso identidem phlogistico; nunc sensibus ægri omnibus penitus sopitis, qui profunde, & cum stertore respirabant, subsignis Apoplexiæ veræ, fortis, immo in secunda jam periodo letalis militabant; nunc validis toto corpore convulsionibus productis, spuma circa os collecta, & profunde dormiente in fine paroxysmi ægrotante, Epilepsiam omni nota referebant; nunc denique vomitu enormi, & alvi simul dejectionibus fere assiduis, atrocem choleram exacte æmulabantur. Quidquod & He-

cticas colliquationes, febri continua, vesperi exacerbata, sudoribus profusissimis, corpus mire emaciantibus, satis apte non nunquam imitarentur.

Et tamen, quamcunque assumpserant larvam, quoscunque habitu suo ascititio referebant morbos, non nisi febres erant remittentes, de intermittentium, tunc temporis epidemicarum genere, atque ut tales curandæ, & in omnibus, qui meæ sese curæ commiserunt, ægrotis, assistente Divina ope, feliciter, sine ulla remanente corporis labe profligatæ, unico solum excepto, qui apoplexia tali, altera febris periodo, sua culpa misere enectus est, qui funestus sane, ac demirandus casus Cap. 2. N. 7. enarrabitur.

Medicatio, quamprimum subdelitescentem febrim detexeram, aut modo probabilis aliqua de illa mihi nata erat suspicio, per Corticem facta est. Facilis igitur, & simplex fuit perniciosarum adeo febrium cura; difficilius multo extricari potuit earundem Diagnosis, præsertim in Epidemicæ constitutionis hujus exordio. Signa autem,

tem, quibus febres ejusmodi detegi possint, hic loci non examinabo; uberius enim, opera forte non omnino inutili, de iis agam Cap. 4. Max mus vero labor quandoque exantlandus erat, ut æger, conveniente medela adjutus, ex ancipiti paroxysmi procella, salva vita, emergeret, & veram, unicamque salutis anchoram amplecti posset, Peruvianum nempe Corticem, cujus uncia una, aut saltem media, remissionis tempore ille munitus, exacerbationem insecutam, quæ aliter, si non plane eum interemisset, saltem in præsentaneum vitæ periculum deduxisset, mitiorem multo, neque terrificis symptomatis stipatam expertus est, ulteriori remedii usu sanitati integræ brevi spatio restitutus. Quæ omnia clarius patescent sequenti Capite, ubi varias, & notabiliores perniciosissimarum talium febrium historias cum earundem Therapia tam curatoria, quam palliativa, possibili brevitate recensebo.

Omnes modo expositæ febres mensibus ultimis æstivis, atque autumna-

libus plurimum epidemicæ, hyemali frigore maturius, graviusque illo anno ingruente, inermes quasi redditæ; per totum brumæ, rigidæ admodum decursum, sopitæ veluti jacuerunt. Alii autem hac tempestate morbi ambulabant, Tusses inprimis, atque Catarrhi, junioribus quidem, & adultis parum molestiæ facessentes, senibus vero graves, & sæpius periculosi: in his enim, vigore naturali jam deficiente, in peripneumoniam notham degenerabant. Frigore nimirum externi aeris, vasis mucum, lympham-que secernentibus, reclusis, pituita in seniculis aliunde copiosior, & aeris injuria excerni prohibita, accumulari cœpit in corpore; immani posthac foci calore, quem hic locorum succendere solent, subito illa fusa, & in motum deducta, atque determinante tussi, minimis pulmonum convergentibus vasculis impacta, anxietates maximas, difficillimam respirationem, sensuum stuporem, & ad motum inertiam, acutum & calvariam quasi, conquerentibus ita ægrotis,

tis, findentem inter tuſſiendum dolorem, reliquave peripneumoniæ hujus ſyptomata produxit.

Cura morbi in junioribus ſolis pectoralibns decoctis facile perficiebatur; in peripneumonica autem ſenum Affectione præter infuſum Radicis fœniculi, fol. Heder. Terreſtr. Agrimon. Herb Hyſſop. Hyperici &c. quod oxymelle ſimplici edulcoratum, ſæpius de die calidiſſimum ſorbillandum erat; mixtum ex aqua fœnic. Hyſſopi, oxymelle ſcilitico, Sale polycreſto, Antimon diaphor. non abluto, addito, ſi res magis adhuc urgeret, Kermes minerali, compoſita, egregium præſtitit effectum. Unica tantum vetula, ſeptuagenaria major, peripneumonia ſimili periit, nec fortaſſe periiſſet, ſi quæ enixe ſuaſi, applicari aut ipſa; aut neceſſarii ejus admiſiſſent veſicantia.

Id hac occaſione commemorare liceat, difficillimum ruri eſſe, ægros ad veſicantium uſum permovere, tot nempe infelicibus exemplis perterritos, quæ ex Balneatorum imperitia,

illis aut importuno tempore, aut re jam nimis desperata utentium, toties eorum oculis occurrunt.

Hisce ægrotationibus prima hyemis transacta pars est, finis nempe anni 1759. Alterum brumæ dimidium, seu primos An. 1760. menses vendicarunt sibi morbi acuti, graves, symptomaticis efflorescentiis Miliaribus ut plurimum stipati, hinc inde satis frequentes. Pro maxima sui parte calido nimis ægrotantium regimini, a quo nullis monitis, minis nullis vel latum unguem dimoveri possunt custodes mulierculæ, natales debebant hæc Miliaria. Non enim stragula plumis densissime referta, ægros fere suffocantia, sufficere, sed calor etiam vel sano homini pœne intolerabilis, aerem cubiculi accendat, necesse illis videtur. Nemo itaque mirabitur, me exanthemata illa in nullo ægroto critica observasse, sed, ut supra dixi, symptomatica, utpote crudo adhuc existente morbo, & cum notabili cum febris ipsius, tum symptomatum augmento enata, & perstantia. Plerumque alba simul,

&

& rubra aderant Miliaria; multis in locis cohærebant ; immo quaſi confluentia, majuſculas formabant veſiculas, lentium majorum molem æquantes. Puerperis ferę ſemper acciderunt, conſueto, licet execrando illarum regimine impenſe calido producta.

Morbillis potiſſimum, qui tum temporis populares in quibuſdam pagis, quamvis benigni admodum moris graſſabantur, jam plurimum evanidis ſupervenere, ſeu potius ſuperveniſſe debuerunt, ſi conſideremus, quanta cum ſollicitudine ruſticæ mulieres prolem ſuam , variolis , aut morbillis laborantem foveant, eo caloris gradu cubicula arcta imprægnantes , ut ægro aliquamdiu aſſidens, animo ſæpe defecerim. Inde porro factum eſt, ut licet morbilli de ſe mites , ſeptimo morbi die optimo cum effectu deſquammari inciperent , lecti tamen ſquallore, aeriſque ardentis æſtu torti miſelli, pulmonibus valide angerentur, ac longe magis ac antea febricitarent ; & quod pejus adhuc , ſagaces tunc mulierculæ retropulſis, & introrſum verſis

ſis morbillis deteriorem ægri conditionem imputantes, & myrrham (quæ ſpecificum in variolis, & morbillis ruricolis audit, & Lares inter domeſticos ſanċte colitur) aliaque calidiſſima remedia ſtrenua doſi, aucto ſimul foco, & duplicatis ſtragulis adminiſtrantes, effecere, ut nono, aut undecimo morbi die miliaria inexſpectata illis prodirent, cum ſumma virium proſtratione, reſpiratione peſſima, perpetuis jactitationibus, delirio &c. unde mors haud raro decimo quarto, quinto, aut vigeſimo die ſecuta eſt. Multi infantes hac ratione, ne conſulto quidem Medico, perierunt. Perpauci fuere, ad quos ego ſum accitus neque id, niſi miliaribus cum peſſima ægri conditione toto jam corpore proſtantibus. Atque utinam vel tum ſanioribus conſiliis obtemperaſſent! verum vix tergum me vertente, priori tramiti inſtitere; hinc & ego parum felici cum ſucceſſu medicatus ſum. Curam cæteroquin, quam in exanthematoſis his morbis, nulla habita ratione miliarium, ſecundum morbi crudi-

ditatem, aut coctionem inchoatam, virium vigorem, & symptomatum præsentium ferociam direxi, adeo prospere mihi cessisse, fateri queo, ut neminem sub ea mortuum esse meminerim, paucis illis infantibus exceptis, qui miliaribus, vi cogente, morbillis supervenientibus, & licet ipse omnem artis operam adhibuissem, custodibus, vero & mulierculis Τὰ δέοντα, necessaria adeo ad salutem ab Hippocrate, & cunctis ejus genuinis filiis habebantur, sinistre administrantibus, succubuerunt.

Dura sic hyems transiit, & soterii veris deliciæ appropinquaverunt. Verum vix delibare eas licuit, cum febres illæ intermittentes, seu potius de intermittentium familia remittentes, quas priori anno populares, ac hyemis rigore sopitas veluti fuisse, supra memoravi, verni aeris tepore exsuscitatæ, undequaque reviviscerent. Quum plurima, quæ de febribus hisce priori anno præsentibus retuli, hornotinis quoque essent communia, utpote sub ejusdem Epidemiæ signis militan-

tibus, ea tantum de iſtis adferam, quæ peculiaria, ac propria iiſdem obſervavi.

Mature admodum Martio nimirum menſe renatæ, per integrum anni 1760. decurſum indeſinenter, ac ſolæ dominatæ ſunt, ita, ut vix alii morbi, toto illo tempore occurrerent. Nec hybernas, velut præcedente anno, conceſſerunt inducias, ſed tota hyeme continuo debacchatæ, in hancusque fere horam mortales infeſtant. Neque majorem ab initio, & vernalibus febribus ſolitam præ ſe tulerunt benignitatem, ſed, quam autumno an. 1759 aſſumpſerunt ſævitiem, atque ἀνομαλίαν, exſeruerunt illico, nec hucuſque vel minimum depoſuerunt. Qui immunes ab his febribus prægreſſo anno, fuerant, præſente jam anno ab iis corripiebantur; immo furorem illarum jam experti, rurſum ab iiſdem affligebantur; quod non ſolum de ſingulis hominibus, ſed de integris etiam pagis, oppidisque intellectum velim. Primis horum ipſe ego accenſendus, 5ta Aprilis anni proxime elapſi, veſperi

gravi

gravi tertiana, vere continuam in ſui principio ſimulante, prehenſus. Horrore, & frigore aliquamdiu haud leviter vexatus, valide febricitavi cum calore intenſo, ſiti maxima, cephalalgia vehementi, pulſu duro, reſpiratione anxia; quæ cum eodem tenore ſine ulla remiſſione, quamvis ſudore non nihil maderem, per integrum perdurarent nychthemerum, urina tenuis multum ruberet, febrem vere continuam ſubeſſe ratus, balneo pedum præmiſſo, ſanguinem educi curavi compactum, aciei cultri difficillime cedentem; & decoctum hordei cum oxymelle ſimplici, & nitro copioſe potavi. At elapſis triginta horis, mitiora omnia facta ſunt; & quia febris haud exigua pergeret, epidemicæ latentis febris remittentis ſuſpicio gravis illico ſuborta eſt, quam confirmavit paulo poſt revera exacerbatio, ſex minimum horis participans, non tamen cum notabili quodam horrore, ſed levi animi deliquio exorſa, cæterum eadem vehementia per 24. horas perſiſtens. Somno dein horarum aliquot

quot refectus, dum de pellenda hac febre mecum delibero, paroxyſmus denuo redit, multum rurſus anticipans, verum abſque Leipothymia, gravis nihilominus, & diuturnus. Cognito ſic morbi genio, & mora ſufficienti impetrata, facile fuiſſet, eam cortice, quo tam numeroſas, periculoſasque fugavi febres, in me ipſo etiam debellare; aſt quod validis cordis palpitationibus, Leipothymiis, pulſus inæqualitatibus, abſque manifeſta προφάσει, jam ab aliquot annis eſſem obnoxius, Celeberrimi Philoſophi, & Mathematici Pariſini de la Hiſe exemplo animatus, febri pro illorum malorum remedio aliquamdiu uti conſtitui. Et profecto aſſeverare queo, me ab illo tempore parum admodum ab iis malis fuiſſe afflictum. Septem vero Paroxyſmi, perfunctus, qui omnes horis aliquot anticiparunt, cæterum vix mitiores, aut breviores, primis tribus memoratis, & in quorum vigore mentis aciem longe perſpicaciorem, & acriorem, minime tamen deliram obſervavi, cum AUGSTISSIMA-

RUM

RUM MAJESTATUM adventus proxime abesset, & vires morbo multum prosternerentur, febrifugum quoddam, quod jam aliquibus similiter febricitantibus egregio cum successu exhibui, & in fine hujus capitis exponam, in me ipso experiri volui. Sumsi igitur primam ejus dosin, sed cum Medicamentum sit aliquantum nauseosum, ipse vero Medicamina quæcunque difficulter assumam, dosin alteram nulla amplius ratione ingerere potui, immo adeo nauseare cœpi hoc remedium, ut vel aliis parare postea vix potuerim. Febris quoque nihil inde mutata est, nisi quod brevior exstiterit. Mediam igitur Corticis unciam nebularum ope deglutii, unde vix umbra febris rediit, & eadem quantitate repetita, penitus evanuit. Sed vix binis septimanis ἀπύρετος, paulo copiosius sumto in prandio acetario, Recidivam tertianæ passus sum, quam Drachmæ sex Coticis celeriter profligarunt. Ulteriori tamen Corticis usu neglecto, quotidiana accessit, ab uncia una Corticis evanida. In hujus usu postea persistens, per octiduum

C nem-

nempe ab exacerbatione ultima ter de die ſcrupulos binos aſſumens, idemque ſeptimana tertia reiterans, adeoque toto morbi tempore quatuor Corticis unciis conſumtis, ſtabili, Favente Altiſſimo, ſanitate potitus ſum.

Binarum, quas ſuſtinui, recidivarum occaſione, commemorare lubet, eas frequentiores adhuc hoc, quam priori anno, obtigiſſe, immo ne unum quidem graviori ejuſmodi epidemica febre laboraſſe, quin ſemel, iterumque, aut ternis plane vicibus in eandem, aut congenerem eſſet relapſus, licet cauſa quandoque levis, ſæpius omnino nulla exiſteret; prout magis patebit ſecundo Capite. Quæ res præcipue a mulieribus gravidis difficulter, & non ſine vitæ periculo perferrebatur. Sic uxor Dom. Sahrpök, qui Prædii Leopoldsdorfenſis, ad Comitiſſam de Dietrichſtein pertinentis adminiſtrator eſt, fœmina viginti aliquot annos nata, in quintum menſem, ac prima quidem vice prægnans, menſe Junio medio, elapſi proxime anni, de quo nunc potiſſimum

mum ſermo eſt, tertiana gravi epidemica corripitur, ſed, ſumta corticis uncia Electuarii forma, ſanitati integræ reſtituitur. Tribus elapſis ſeptimanis, ſine manifeſta cauſa, eadem rurſus vexatur, cortice liberatur. Incipiente Auguſto in tertianam relabitur, ſed multo leviorem, quam ipſa pulvere lapidum cancrorum cum ſucco limoniorum in effervefcentiæ actu epoto, facile depellit. Verum paucis poſt diebus redit illa, neque memorato modo remedio jam obtemperat, ſed mora viribus aucta, in pernicioſam tertianam duplicatam remittentem degenerat, ægrota octavum graviditatis menſem agente. Paroxyſmi vix notabili aliquo prævio horrore, tam validum illico produxerunt calorem, ut in acutiſſima febre haud majorem eſſet deprehendere; cum enormi capitis dolore, ſumma linguæ ariditate, inextinguenda ſiti, vehementi in Hypogaſtrio ardore, doloribus circa uterum maximis, continua, & valida adeo fœtus agitatione, ut mamagnum abortus immineret pericu-

lum; & quod pejus adhuc, vice qualibet multum anticipando, perangustum reddiderunt remiſſionis intervallum. Similis exacerbationis (ni fallor, tertiæ) tempore præſens ego adductus, reſpirationem ſumme anxiam, pulſumque ſubdurum plenum deprehendens, ſanguinem e brachio eduxi, cataplaſma emolientiſſimum, anodinum ventri toti, epiſpaſtica acria plantis pedum appoſui, enema emolliens, refrigerans, ano immitti curavi, & potum tenuem Limmonade copioſe potandum conceſſi. Symptomata ferocia ſic multum mitigavi. Corticem vero in remiſſione Electuarii forma ſumendum imperavi. Sed quod ægra illum, nebula quamvis obvolutum, illico rejiceret, neque amplius hac forma deglutire poſſet, acceſſus interim rediit æque truculentus; levior multo reverſus, ſex corticis Drachmis mixturæ forma exhibitis, iisdemque repetitis, prorſus exul. Ægrota autem paucis diebus vires, ſanitatemque perfectam recuperata, & debito tempore puellam vegetam felici partu enixa eſt.

Il-

Illarum quoque Febrium, de intermittentium prosapia remittentium, quas haud immerito malignas compellandas esse, superius monui, & hoc anno complures apparuerunt, cum insigni tamen a prioribus diversitate, mensibus præcipue autumnalibus, tum quoad modum ingressus, tum quibus stipatæ erant, symptomata, tum morbos etiam, quorum habitum perperam mentiebantur. Ac primo quidem horrorem, qui in febribus ejusmodi vix notabilis, ac fere momentaneus esse consuevit, subinde in vehementem adeo, ac diuturnum algorem, rigoremque abiisse adverti, ut marmoris instar frigidi algerent pedes, & pœne immobilis per horas rigeret truncus, hincque perpetuis fomentationibus hic calefactis linteis, totum corpus involventibus, illi appositis calidis lateribus opus haberent. Nonnunquam Artus inferiores ad suras usque intense frigebant, superiores vero carpotenus, reliqua extremitatum utrarumque parte cum universo corpore æquabiliter, & blande calente. Mi-

rum quendam, ac peculiarem algoris ſenſum in Hiſt. 11. Cap. 2. referam. Periculoſa, quæ febres has comitabantur, ſymptomata erant ingentes circa præcordia Anxietates, & dolorificæ Oppreſſiones; Nauſea continua, perquam moleſta; vomitus difficilis bilis ſaturate flavæ, aut & porraceæ, ipſius interdum ſanguinis grumoſi; graviſſimi Inſultus hyſterici; Cardialgia vehemens, ſenſim in animi deliquium, levius, fortiusque, veram ſubinde Syncopen iterato deducens, cum acceſſione inchoans, cum remiſſione remittens, in totum minime recedens, ſed ſatis moleſta cum febri haud exigua perſeverans; quod & de aliis plerumque intelligendum ſymptomatis. Pulſus in principio acceſſus debilis, parvus, inæqualis, durante Leipothymia, aut ſyncope minimus, tremulus, aut plane nullus; in vigore paroxyſmi, & ceſſante animi deliquio, parvus, celerrimus, contractus, in quibuſdam durus, fortis, plenus; remiſſionis tempore debilis, mollis, multum febrilis: Reſpira-

ſpiratio eadem ratione nunc brevis, celeris, ſublimis, fere evaneſcens; nunc laborioſa, frequens, anheloſa fuit. Quidam ægrotantium delirabant ferociter, blande alii, non niſi palpantes, carpentes, & murmurantes; nonnulli mente quidem conſtabant, ſed ſenſus ſtupore adeo præoccupati erant, ut ad interrogata, licet ea intelligerent, reſpondere vix poſſent, balbutientes, in loquela hæſitantes, medium ſermonem, priorum obliti, ſubito abrumpentes; commatoſi demum aliqui profunde ſtertebant, non niſi fortiore voce, aut agitatione, oculis conniventes. Quibus ſymptomatis ſi jungantur vires, paucis exacerbationibus adeo proſtratæ, ut non niſi aliorum ope ſe vel in lecto vertere potuerint ægroti; ſudores profuſiſſimi in principio jam acceſſuum præſentes, frigiduli potius, quam calidi, præſertim animo deficiente ægro, robur naturæ immaniter exhaurientes; oculi triſtes, turbidi; facies vultuoſa, ſqualida; exanthemata in fine paroxyſmorum quandoque emergentia, eviden-

ter apparet, perniciosas has febres, tquæ primo Epidemiæ anno morbos acutos, immo acutissimos inflammaorios exacte æmulabantur, altero ejusdem Epidemiæ anno febrium pessimarum acutarum, putridarum ac vere malignarum effigiem omni fere nota expressisse.

Enimvero, quantumlibet aliæ, ac toto cœlo diversæ externa facie viderentur, re ipsa tamen, & essentiali spectato charactere, eædem erant cum prioribus febres, de intermittentium nimirum familia remittentes, atque eodem unice remedio, Cortice Peruviano, in omnibus, quibus ego medicabar, feliciter subactæ, nulla sanitatis labe restitante, imo perfectiore hac postmodum obtinente, quam fuerat antea. Palliativa solum cura discrimen aliquod postulavit. Venæ Sectio quippe, etiam repetita, olim necessario toties celebrata nullum hic locum habuit, diluentibus vero, attenuantibus, & antiphlogisticis, analeptica, cardiaca, ac stimulantia surrogata sunt.

At

At hyems, dum Januario menſe Anni præſentis rigidior evaſit, diverſitatem iterum induxit. Etenim malignæ iſtæ febres, illis, quæ An. 1759. graſſatæ ſunt, & humorum potius coagulum, ac phlogoſin produxerunt, proximiores, ſimilesque factæ, hinc æqualem etiam curæ palliativæ rationem paroxyſmi tempore ſortitæ ſunt. Ampliori autem illarum deſcriptione ſuperſedere volui, id ſolum monens, deliria fere phrenitica, ferocia non ſolum febre exacerbata, ſed & remittente adfuiſſe non nunquam; immo in ægrotante aliquo, cujus hiſtoria N. 24. narrabitur, per integrum triduum fere inceſſanter perſeveraſſe.

Præter Corticem Peruvianum alio quoque febrifugo, frequenter altero Epidemiæ anno uſus ſum, cujus mentionem jam alicubi feceram. Quum nempe ex recentiorum clariſſimorum Virorum ſcriptis intelligerem, Salem ammoniacum, alcalinis junctum, egregia vi pollere in intermittentes, ſumſi ſalis ammoniaci Drachmam mediam, aut ſcrupulos binos, quibus ſalis ab-

ſynthii, & Antimonii Diaphoretici abluti anagrana quindecim, aut viginti addidi.

Dum hæc invicem aliquamdiu triturantur, penetrans admodum, & nares ingrate afficiens odor ſurgit, quem ſal volatilis Ammoniaci ſalis, ope alcalinorum fixorum inde extricatus, conſtituere videtur. Dedi hoc remedium in binas plerumque doſes diviſum in intermiſſionis, aut remiſſionis intervallo, idque ſemel, aut iterum repetii, & omnino fateri queo, me non ſolum plures tertianas ſimplices, ſed & duplicatas ſatis graves, ut & quotidianas multas, atque quartanarum aliquas, periculi haud expertes felici cum ſucceſſu debellaſſe.

Et ut inter plures hoc remedio ſanatos, aliquos tantum recenſeam, uxor hortulani D. de Rieſch celebris Argentarii, (Banquier) qui Mödlingæ domum (Palatium dixerim) poſſidet, eleganti horto inſtructam, finiente Anno 1759. a quartana, quam delirium vehemens, animi deliquium, leviores convulſiones, ac debilitates maxi-

maximæ comitabantur, hoc medicamine vindicata, & recidivam passa, eodem sanitati integræ restituta est. Justina, operarii Laxenburgensis uxor, vere Anni proxime elapsi, Tertiana remittente, Diarrhæa valida sociata, laborans, sanata inde est. Hortulani Comitis de Parr, cujus ipsius periculosam, & miram prorsus febrim N. II. sequenti capite referam, hortulani, inquam, istius puella quartum agens annum, ope illius pulveris Aprili mense Anni prioris a duplicata Tertiana, cujus paroxysmi immanem calorem, delirium assiduum, jactitationes continuas &c. secum habebant, prorsus liberata est. Civis Laxenburgensis Heizmann sexagenaria uxor, vernis anni nuperrimi mensibus, nunc tertiana, nunc quotidiana remittente, diu, & graviter vexata, neque ipso cortice multum adjuta, hoc febrifugo sana evasit. Idem observavi in uxore Civis cujusdam Gutramsdorfensis, Marx appellati, uxore, tertiana perniciosa, ac diuturna multum attrita, cui vel tres selectissimi Corticis

cis unciæ nec minimum levamen attulerant. Ardearum Cuſtos, Weinanz dictus, intermittentibus febribus per biennium fere integrum dire, ac diverſimode afflictus, ideoque, aliquot jam libris optimi Corticis hoc tempore uſus, eo ſolum cum effectu, ut febris menſe uno, alterove ceſſaret, iterum reverſa, quamvis corticem minime negligeret, Verno tempore An. 1760. Tertiana epidemica gravi decumbens binis hujus remedii doſibus non ſolum hac febre liberatus eſt, ſed ab omni recidiva immunis, ſanuſque perſtitit, donec finiente ejusdem Anni Novembri periculoſa quadam febre correptus fuit, quæ ob rationes paulo inferius adducendas in fine ſequentis capitis ſub titulo, ægrotus alter, exponetur. Videatur quoque eodem Capite Caſus 19. Minime quidem ſileo, me aliquoties etiam optato ſucceſſu fuiſſe deſtitutum; verum id ut plurimum tribuendum erat tum ægris ipſis, qui ad repetitionem illius remedii, & propter ſalſum admodum ſaporem, & ingratum odorem aliquantum nauſeoli, nul-

la

la ratione permoveri poterant, tum quod urgente vitæ periculo, remedio huic insistere, adeoque longe minus certum, certiori, & febrifugo vere specifico anteponere, neutiquam liceret. Fuit tamen nonnulla quartana, seri autumni soboles, quæ etiam sæpius repetitis, & auctis hujus pulveris dosibus pervicaciter restitit, non nisi Cortice fuganda. Quemadmodum etiam testari cogor, me in his febribus, epidemicis, remittentibus vernalibus An. 1760. atque uti ex earum descriptione patuit, gravibus admodum, & perniciosis, multo majori cum successu hoc febrifugo usum esse, quam in febribus ejusdem anni, & epidemiæ autumnalibus, interdum multo levioribus. An id Anni Tempori tribuendum, cum indubia experientia doceat, febres autumnales pertinacissimas, & vel ipso Cortice, quamquam diu & larga copia exhibito, subinde esse superiores? Quidquid sit, ulteriori imposterum experimento hoc remedium subjicere, nullus negligam, remque, utut comperero, fideliter exponam.

Ve-

Verum ſicuti febres intermittentes, aut ſaltem de intermittentium genere remittentes, ſub acutorum morborum ſpecie, durante hoc biennio frequenter impoſuerunt, ita & Febres vere continuæ & acutæ, more intermittentium, vel remittentium periodice in principio exacerbatæ, aliquoties me præterrito anno deceperunt, eoque faciliùs, quod febres vere remittentes, quas acutæ hæ, atque vere continuæ in ſui principio exactiſſime referrebant, tunc temporis, uti monui, vel maxime eſſent epidemicæ. En novum luxuriantis naturæ exemplum! En quanta cum ſolertia, ac ſolicitudine etiam epidemicis morbis invigilare debeat Medicus! Hæc autem erat Morbi facies. Ægri primo febricitarunt leviter cum tuſſi, aut Diarrhæa, aut nauſea, & vomitu, aut doloribus circa cervicem, & lumbos, aut ſymptomatis, faciei eryſipelas præcedere ſolitis. Febricula hæc, vires valide dejiciens, his quotidie, illis alterno die, nunc ſtatis horis, modo tempore incerto, & vario exacerbata eſt;

re-

remisit dein, non tamen penitus recessit. Urina, finiente paroxysmo, missa sedimen posuit lateritium. Septimana una sic elapsa graviora quædam, ac periculosa symptomata accessionibus supervenere, ut delirium ferox, aut subobscurum, tremulum, murmurante tantum, & assiduo palpante ægro; loquelæ difficultas; animi defectus; ardor immanis; sitis intensa; linguæ tremor, & hujus commatis plura. Morbum talem in classe febrium remittentium, tunc popularium reponere nullus hucusque dubitavi. Cortice autem exhibito, periodica cessavit exacerbatio, & febris vere continua, acuta, sub paroxysmorum accessibus delitescens antea, & minus ideo distinguenda, jam manifesto se in conspectum dedit, illis plerumque, quæ exacerbationis tempore, prius adfuerant, symptomatis stipata, gravis admodum, & periculosa. In decursu morbi crudi adhuc sæpius apparuerunt Miliaria tam alba, quam rubra, immo & petechiæ. Urina, ex quo paroxysmorum periodi evanue-

nuerunt, prærubra fuit, & tenuis cum ſuſpenſa in medio nubecula; aut aquoſa tenuis, aut turbida ſine ullo ſedimento vel hypoſtaſi. Cortex tunc exhibitus, nec noxam attulit, nec juvamen notabile; ſed prout indicatio juſſit, nunc Venæ ſectiones, diluentia, nitroſa, antiphlogiſtica; nunc ſtimulantia, vires excitantia, veſicantia ſalutem plurimis impetrarunt, verum tarde admodum, quibuſdam nempe circa diem Morbi totius vigeſimum quartum, aliis trigeſimum, nonnullis etiam quadrageſimum; criſi autem imperfecta, & repetita, per ſudorem, urinam, quandoque & alvum.

Binæ ſolummodo fœminæ his morbis decumbentes, mortuæ ſunt. Una virgo fuit, civis Laxenburgenſis Zachariæ Toiſel filia, diu jam cum hoc morbo conflictata, & dum ego acerſerer, jam peſſimis quibusque, ac letalibus ſymptomatis affecta. Vidua erat altera Guntrandorfenſis, Haupin vocata, quæ gravi animi mœrore penitus dejecta, cum remediis congrue uti reſpueret, ipſe vero, dum vis morbi

bi ſumma eſſet, quidquid urgerem, non niſi alterno die, immo ultimis vitæ diebus plane non adducerer, mortem oppetiit, forte alias ſervanda. Reliqui omnes, qui facile, & lubenter artis opem admiſerunt, & quos ſæpius, aut ſaltem, ſi procul diſtarent, quotidie licuit inviſere, ſanitati reſtituti ſunt. Speciminis ergo, binorum ſimiliter ægrotantium hiſtorias, fini ſequentis capitis adnectere, viſum eſt.

Meminiſſe autem hac occaſione velim, non æque commodam, & oportunam, uti in urbibus, ruri etiam, & multum ſæpe diſtantibus ægris fieri poſſe Medicationem. Nam præterquam, quod plerumque Medicus tum primo accerſi ſoleat, quando ægrotus per balneatorem Venæſectionibus, purgantibus validis, atque emeticis ad incitas fere redactus eſt; etiam anguſta ægri res domeſtica, quandoque currus, & equorum defectus, præcipue ſementis, meſſis, & vindemiarum tempore, Medicum toties, aut tunc ſaltem accedere prohibent, quo-

ties augeſcens magnitudo morbi, aut quando gravia quædam ſymptomata ſubito coorta, aut ſæviora facta, illico eum ad manus eſſe juberent.

CAPUT II.

Notabiliores quidam Caſus biennalis hujus Epidemicæ febrium Conſtitutionis.

Expoſitæ ſic nuda veritate biennalis conſtitutionis hiſtoriæ, notabiliores quosdam caſus, prout mihi obtigere, ceu totidem remittentium de intermittentium genere febrium, diverſimode larvatarum ſpecimina, pro meliore, clarioreque earundem idea adjungere, haud omnino nobis viſum eſt inutile.

Teſtes magis idoneos, ac veraciores adducere me non poſſe arbitrabar, quam ægrotos ipſos, perniciofis illis febribus vexatos, Divina Ope indedi vendicatos, & hoiedum, unomodo excepto, qui apoplexia periodica, ſorte iniqua periit,

riit, uti N°. 7. patebit, omnes pancratice valentes, quorum vel ideo nomina, conditionem, locumque, in quo morantur, fideliter ubique referam.

Illud autem præmonendum habeo, primam horum Casuum Decadem ad Annum 1759. reliquos vero ad An. 1760. & primum hujus, quem terimus, anni quadrantem pertinere.

CASUS I.

Tertiana remittens simplex cum Cataphora, aliisque perniciosis symptomatibus.

Vir quinquagenario proximus, cui nomen Münichsdorf, lignis in Sylvis Cæsareis cædendis præpositus, vulgo ein Wald-Bereiter dictus, in Oppido Mödlinga habitans mole parvus, habitu tenuis, Temperiei siccæ, & atrabiliariæ, mense Junio fere medio A. 1759. tertiana corripitur, quæ circa vesperam, vix notabili cum frigore ingressa, calorem mox intensum, tussim cre-

 bram,

ram, vomitum difficilem, dolorem capitis, & artuum vehementem produxit. Nocte jam ingruente, & in vigore paroxyſmi vocatus, ſymptomata enarrata potu refrigerante, emolliente, & epiſpaſtico acri, plantis pedum admoto lenire, & mali cauſam indagare contendi; quam dum lautas epulas pridie celebratas, eſſe comperi, leve ex hypechachuana emeticum præſcripſi, die altera ſumendum.

Inde aliquoties vomuit cum euphoria; febris tamen, quæ non in totum receſſerat, die tertia æquali cum moleſtia, ac diuturnitate exacerbata eſt. Hac iterum remittente, dedi mixturam aperientem, reſolventem, ſalibus neutris probe imprægnatam, & Infuſum Florum Chamomillæ copioſe deſuper bibendum. Verum exacerbatio non ſolum non levior, ſed & abſque manifeſta *προφάσει* periculoſis jam ſymptomatis ſtipata reverſa eſt. Calor enim totius corporis vere mordax, delirium fere aſſiduum, palpante ſimul, & ſe jactitante ægro, validus linguæ, & artuum tremor, ſub-

ſul-

ſultus tendinum, & inchoatæ quaſi in facie convulſiones, terribile, & protractius longe reddiderunt caloris ſtadium, quod ſudor excepit profuſus, diuque manans, ægroto interim profundo, veluti apoplectico ſopore demerſo, ita, ut non niſi fortioribus agitationibus ſigna ſenſuum, & loquelæ proderet. Febri hac ſequenti mane remittente æger quoque evigilavit, ſed debilis admodum, & ſenſibus hebes. Hic jam minime amplius feriandum eſſe ratus, optimi corticis unciam integram, in duodecim pulverum doſes diviſam, ante metuendi acceſſus reditum ægro juſſi ingerere. Reducem quidem paroxyſmum is inde expertus eſt, nullo tamen graviore ſymptomate ſtipatum, & multo breviorem; quare in uſu corticis ulterius inſiſtere imperavi. Sanitatem proinde perfectam brevi recuperavit, & adhucdum tenet memoratus vir, qui aliam corticis unciam, me ſuadente, per octiduum, ab ultima febris umbra, recidivæ præcavendæ ergo, rurſus devoravit.

Casus II.

Tertiana remittens ſimplex, ſub Epilepſiæ habitu.

Figuli Frum in pago Lanzendorf morantis, filia ſexennis finiente menſe Julio horripilatione prehenditur, dein frigore haud diu durante; brevi poſt calore valido, & diris toto fere corpore convulſionibus per horas aliquot vexatur, ſpumam ore effundit, ſopore demum profundo cum ſtertore mergitur. Accitus ego jam utcunque vigilem invenio, non leviter tamen febricitantem, debilem admodum, & capite multum dolentem. Dum in morbi cauſam inquirerem, terrorem hi vehementem, lac coloſtratum alii incuſabant, cujus etiam coagula in paroxyſmi principio aliquoties rejecerat vomitu. Morbum hunc, veram eſſe epilepſiam, tum minime dubitavi, ideoque ad ſuperſtes adhuc coagulum evacuandum, lene emeticum, dein remedia nervina, &

ro-

roborantia præſcripſi. Sed ecce die ſequenti belle ægram habuiſſe, tertia vero morbum eadem cum ferocia, eadem ratione, eodem tempore rediiſſe, ac receſſiſſe, referunt puellæ Parentes. Mutavi igitur Diagnoſin, ſuſpicatus illico febrim hic latere de intermittentium familia remittentem epilepticas convulſiones indutam, licet urinam ægrotæ videre haud licuerit. Cortex tamen, quem præſcripſi, nondum ingeri potuit (ſerius enim de mali reditu ſum certior factus) cum tertiam jam periodum inchoaret febris convulſionibus æque truculenta; verum a media corticis uncia, remiſſionis inſecutæ intervallo exhibita, cum aſcititia ſua epilepſia fugam illico arripuit, hucuſque exul.

CASUS III.

Quotidiana remittens cum Caro.

Ardearum Cuſtodis Weinanz filius natu maximus, ſeptem decim an-

norum adolefcens, intermittentibus jam aliquoties vexatus, exeunte Julio, febre laborare cœpit fere continua; exacerbatio enim, & remiffio vix erant notabiles; vefperi folum livorem unguium percipiebat, & paulo poft de majori ægritudine, ac debilitate, fiti, & calore aucto conquerebatur. Urina vix a naturali diftabat præter colorem fere aurantium. Hinc non nifi decoctum folvens, atque aperiens fumendum præbui. Sed quinta morbi die, prævio livore unguium, calor, & fitis longe magis intendebantur; oriebatur narium hæmorhagia fatis larga, qua fpiffus, & illico concrefcens fanguis ad uncias aliquot evacuabatur. Profundus inde fequebatur fomnus cum facie rubra, refpiratione magna, vix non ftertente, pulfu forti, & pleno; fortiore voce, & agitatione excitatus æger, oculis connivebat, loquebatur, feu potius delirabat, brevi denuo in foporem reverfus. Ne igitur in apoplexiam degeneraret commatofus hic, vel καροδες affectus, balneo pedum præ-

præmiſſo, ſanguis inde copioſus detrahebatur, epiſpaſtica acria plantis pedum imponebantur, enema emolliens, nitroſum, ſubducens alvo injiciebatur, refrigerantia, antiphlogiſtica interne porrigebantur. Melius æger ſe habuit ſequenti mane; utcunque vigil, mente conſtans, haud difficulter reſpiravit, multum tamen febricitavit; alvum ab enemate bis poſuit. Urina autem ſedimentum habuit lateritium copioſum. Anguem jam in herba latentem inde ſuſpicatus, quotidianam nempe remittentem ſub Cari larva deinceps inceſſuram, mediam Corticis unciam in ſex pulverum doſes diviſam præbui, ante occaſum Solis omnino abſumendam. At quod vix mediam remedii partem nauſeanti filio, perperam indulgens mater ingeſſerat, ille vix e balneo pedum, quod quotidie injunxeram, veſperi egreſſus, redeunte paroxyſmo, Caro rurſum ſopitus eſt. Præter renovationem epiſpaſticorum, & enematis paulo acrioris injectionem, & tenuem, nitroſum, ac reſolventem potum, nihil

hil ultra tentavi, cum & mali naturam jam evidenter cognoſcerem, & ægri vires fractas admodum viderem, neque ſoporoſum affectum, magis, ac heri ingraveſcere adverterem. Electuarium interim ex Corticis uncia cum melle paravi, quod apparente remiſſione, luce altera ſperanda, illico exhibere, & ante veſperam conſumere ſevere imperavi. Diligentius jam exequebantur mandata Parentes, de ſalute filii plurimum anxii: hinc factum, ut exacerbatio quidem ſolita redierit, nec caro tamen, nec alio graviore ſymptomate ſociata, continuato corticis uſu penitus evanida.

Verum hic adoleſcens vix diebus aliquot ἀπύρετος, a largiore paſtu in febrem incidit vere continuam acutam, a qua tamen perfecte convaluit, hæmorrhagia critica, ſed larga adeo, ut in animi deliquium laberetur, die morbi ſeptimo integre judicatus.

Hoc altero quoque morbo feliciter exantlato, miſer adoleſcens vix unius ſeptimanæ ſpatio interjecto tertianam intermittentem denuo contraxit,

xit, quæ cito quidem, ſtrenue ſumpto cortice, ſe ſubtraxit, ſed locum ceſſit quotidianæ iterum intermittenti, etiam integris tribus ſelectiſſimi Corticis unciis ſuperiori. Hic Sydenhami memor, qui in Epiſt. I. reſpons. aperte monet: „ dari aliquos, quorum „ corpora ob frequentem febris re- „ curſum contra corticem quaſi com- „ munita, ſalutiferam ejus vim perpetim eludunt - - -; conſilium quoque expertiſſimi hujus Viri amplexus ſum, & a medicatione prorſus abſtinui; victu ſolum eupepto, & vino modico uti, ægro ſuaſi: quibus ille monitis lubentiſſime obſecutus, & laudabili motu corpus ſimul exercens, brevi tempore a febre immunis, & omni ratione ſanus evaſit. Anno proxime elapſo menſe integro Octobri idem adoleſcens rurſus decubuit febre quotidiana, remittente, veſperi-exacerbata cum magna virium jactura, cardialgia gravi, & anorexia, quibus ſe ſenſim junxerunt noctes inſomniis turbatæ, leves mentis aberrationes, ſenſuum ſtupor, & incipiens quaſi lethar-

thargus. Urina ſive remiſſionis ſive exacerbationis tempore miſſa, nunc vix abhorrebat a ſtatu naturali, nunc rubra admodum erat & tenuis, cereviſiam, quam Germani das Luft-Bier appellant, perfecte referens; nunc lateritium ponebat ſedimentum. Præter alia artis adminicula, corticem jam ab initio morbi per menſem integrum exhibui, neque alium adhuc effectum inde percepit ægrotans, niſi quod finiente quinta ſeptimana appetitus aliquis, quamquam exiguus, rediret, cardiæ dolor, & oppreſſio miteſceret, atque perpetua in ſomnum proclivitas, ſenſuumque ſtupor evaneſcerent. Cæterum febris nihil mutata pergebat, & vires dejici magis, quam increſcere videbantur. Quia vero corticem lubenter ſumebat ægrotus, continuavi illum, ſed doſi paulo majore. Paucorum dierum ſpatio tubercula hinc inde in parte capitis capillata enaſcebantur, nucem myriſticam, aliquando juglandem mole æquantia; cito matura, immo jam mollia, dum apparerent, & ſæpius ſponte, ſubinde lan-

lanceola aperta, pus album, craſſum, copioſum fundebant: ſimilis quoque materia cum urina ſtrangurioſe miſſa, prodibat magna copia. Digeſtivis ideo aperta tenere ulcera contendi. Nihilominus perſeverabat febris haud exigua; veſperi, uti monui aliquantum exacerbata, qua, ut & ſudoribus, præſertim noctu profuſiſſimis æger plurimum emaciabatur. Cortici igitur ultra inſtiti, & quod cubiculum, in quo æger hucusque decubuit, humile eſſet, & illius parietes ob alluentem rivum aquam fere guttatim tranſudarent, in domum editiori loco poſitam, ab amne longius remotam, atque ſiccam ægrotum transferri, & ſæpius de die extra lectum hærere juſſi. Viribus ſic ſenſim creſcentibus & febre multum emendata, a cortice deſtiti; Diætam vero analepticam ſubſtitui. Unde brevi tempore integra valetudine adoleſcens ille potitus eſt. Devoravit autem toto hujus ultimi morbi decurſu libram fere integram ſelectiſſimi Corticis. Proclivitas ejus in febres, harumque pertinacia vitiis ha-

habitaculi maxima ex parte tribuenda esse videtur, cum & Pater ejus, & tota hæc familia febribus illis epidemicis sæpius laboraverit, prout magis patebit ex sequentibus.

CASUS IV.

Tertiana remittens duplicata, more accutissimæ febris omnes fere corporis functiones graviter lædens.

Falconarii Fischbacher vidua, triginta aliquot annos nata, anno proxime elapso obstetriciæ Artis examine rite functa, sub Septembris 1759. initium, febre laboravit remittente, ob ingentem virium dejectionem, dolorem capitis immanem, aliaque gravia symptomata, sat vehementia, & anomala. Licet genuina hujus febris indoles aliunde haud sufficienter intelligi poterat, quæ tamen tunc dominabatur Epidemia, & urinæ sedimen lateritium morbi genium luculenter prodiderunt. Neque difficulter is paruit corti.i.

Sed

Sed cum illa valetudinaria adhuc debilem ventriculum farinaceis, lentis, ac vel maxime dyspeptis cibis oneraret, & præmature corpus frigidiori auræ exponeret, febris recurrit, at pejor longe, & periculosior. Nam, ut morbi decursus docuit, bini paroxysmi alternabant, duplicatam tertianam efficientes, protracti adeo, ut paucæ remissioni horulæ superessent; primus horum insequentem sævitie multum exsuperabat, peripneumonia, & pleuritide Vitalibus; delirio, & perpetua inquietudine Animalibus; ructu, singultu, vomitu torminibus, & alvi fluore Naturalibus vim maximam inferens functionibus. Urgentibus ita symptomatis, sanguinis, inflammatoria crusta obducti, detractione, cataplasmate emollientissimo lateri, plantis vero acribus epispasticis appositis, sæpiusque renovatis, internis diluentibus, nitrosis, emollientibus, antiphlogisticis, pro viribus occurri. Post maximos octodecim horarum labores mitiora omnia facta sunt. Urina impense rubuit cum lateritio in fundo

do vaſis ſedimine. Ut itaque præpedirem futuram exacerbationem, quam ſequenti primo die metuebam, mala omnia redintegraturam, corticem illico præbui. Verum vix ſemel eum guſtare licuit, cum alterius inexpectatæ Tertianæ paroxyſmus apparuit, qui quamvis memorata ante ſymptomata fecerit recrudeſcere, mitior tamen multo fuit atque levior; nihilominus diuturna ſui mora corticis uſum fere penitus inhibuit. Hinc a graviore reduce exacerbatione, primæ ſimili, debilis aliunde ægrota in ſummas conjecta fuit anguſtias. Quamprimum autem immanis hæc miteſcebat procella, qua durante eadem Artis adminicula ſuggeſſi, integram Corticis Drachmam quantocyus ægræ propinavi, qua doſi brevibus intervallis ter repetita, acceſſio altera fere penitus ſufflamminata eſt. Liberiores jam manus, longiuſque tempus hac ratione nactus, eam corticis quantitatem exhibere potui, ut vix umbram atrocis illius paroxyſmi ægrota perſentiſceret, & plenæ reportandæ victoriæ ſpes affulgeret pulcherrima Ve-

Verum illa in continuando remedio negligens, & ſanam ſe jam omnino rata in victu pleniori, ac duriori rurſus delinquens, pœnas ideo dedit quam graviſſimas: quippe febris, viribus exinde aucta, & corpus robore pene omni deſtitutum, magno impetu aggreſſa, ad incitas usque redegit miſeram. Pulſus namque vacillabat celer, & ſumme debilis; frigeſcebant extrema; parva, dolens, & frequens erat reſpiratio; lurida, & luctuoſa facies; tantus denique virium languor, ut ultimas jam vitæ horas agere viſam, extrema unctione muniri neceſſe fuerit. Nervos interim omnes intendi, ut exitioſum adeo paroxyſmum ſalva ſolummodo vita ſuperaret miſera; quod etiam fere citra ſpem veſicantia larga, ac remedia vel maxime ſtimulantia, Camphora, Radix Serpentaria Virgin: Contrajerv. haud parce exhibita effecerunt. Cortex vero apparente remiſſione illico datus, & ſtrenua doſi aſſiduo porrectus, paucis diebus febrim, & graviſſima ejus ſymptomata adeo cohibuit, ut

brevi tempore hæc mulier cum ſanitate in gratiam redierit, orci faucibus jamjam abſorbenda.

CASUS V.

Tertiana remittens ſimplex cum inflammatorio Dolore lateris.

Operarius Laxenburgenſis, Felber nomine triginta annorum vir, ſicca, & ſtricta temperie præditus, ſexta Octobris, excutiendo tritico occupatus, circa quintam veſpertinam, horripilatione primo, & frigore, ac brevi poſt calore, & ſiti intenſa, dolore lateris ſiniſtri acutiſſimo, reſpirationem plurimum impediente corripitur; unde a labore deſiſtere coactus lecto ſe committit. Poſtquam octodecim fere horis cum dolore lateris, reſpiratione brevi, dolente, celeri, ſiti magna &c. febris perſeveraſſet, omnia maxima ex parte remiſerunt. Octava illius menſis melius adhuc ſe habuit æger, hinc debilis, licet, & latere non leviter ad-

adhuc dolens, ideoque procul dubio etiam febricitans, laborem ſuum rurſus adiit.

Verum Sole occiduo mala omnia vehementer recrudeſcunt; Domum igitur, lectumque repetiit. Tunc ego in opem miſeri vocatus, inveni eum graviter febricitantem cum pulſu duro, reſpiratione brevi, dolente, celeri, ſuppreſſa, dolore lateris acutiſſimo, & quod ſane mirum, ſine omni tuſſi, vel & tuſſiendi conatu. Examinata rite morbi hiſtoria merito conjeci, tertianam hic ſubeſſe, ſævam pleuritidem omni nota referentem, ſola tuſſi excepta. Sed quoniam cum tecto ſic hoſte aperto marte dimicare nondum liceret, cum in maximo vigore tunc eſſet exacerbatio, ſymptomatis interea, vitales actiones tantopere lædentibus, mitigandis incubui. Sanguinem itaque e brachio lateris affecti ad decem uncias eduxi, qui brevi poſt denſa cruſta phlogiſtica obducebatur; cataplaſma emollientiſſimum loco dolenti applicui, ſæpius iterandum; interne

ne decoctum hordei cum oxymelle ſimplici, & nitro copioſe potandum præbui. Levamen inde notabile percepit æger, tam in reſpirando aëre, quam ſenſu doloris. Nox tamen inſomnis cum calore vehementi, ſiti maxima &c. tranſacta eſt. Sequenti luce pulſus quidem longe minus celer fuit, nec durus, multum tamen febrilis; dolor lateris haud levis perrexit; urina prærubra lateritium dejecit Sedimentum. Cum igitur mitigata quidem notabiliter, non tamen ſublata eſſent ſymptomata, nec vel minimus cutis mador hucusque appareret, dubitavi, num penitus jam defervuerit acceſſio; quare in uſu priorum ægrum pergere imperavi. Veſperi accedens, omnia in ſtatu priſtino reperi; nec quidquam immutatum mane altero deprehendi, niſi quod dolor ille acutus in dextrum latus pro momento migrarit, cito tamen in antiquam ſedem reverſus. Urina heſternæ ſimilis, cutis perſtabat rigida. Non igitur intermittere, ſed ſolum remittere cum ſymptomatis adverti Tertianam, ſic nem-

nempe epidemicam. Indicabatur ergo cortex; verum cum angustum nimis tempus esset, reducem stata hora paroxysmum impedire non potui; quo vitales functiones haud levius, immo gravius, quam antea, opprimente, & pulsu duro micante, venæ sectionem, cataplasma, aliaque iteravi. Vi febris autem remittente, corticem quantocyus sumere cœpit æger, cujus unciam integram cum intra 24. horas absumsisset, exacerbationem inde secutam multo mitiorem ut & dolorem lateris, aliaque symptomata longe leviora sustinuit, protracto corticis usu ab omni morbo vindicatus.

Simillima febre (nisi quod dolor ille acutus costas lateri sinistri infimas spurias occuparit) tunc temporis laboravit Venatoris nostri D. Gruber uxor quadragenaria, & eodem modo, eo solum excepto, quod vena semel tantum tusa fuerit, ad pristinam valetudinem illam revocavi.

CASUS VI.

Tertiana remittens simplex cum atroci Cholera.

Epidemica quoque hac febre decubuit mense Octobri uxor quadragenaria Hortulani Aulici Tilli, remittente nimirum, & alterno quovis die exacerbata, sed alium jam morbum referente, atrocem nimirum Choleram. Quippe ultra vigesies lympham salsam, diversicolore bile mixtam, paroxysmi tempore ore rejecit, similemque liquorem alvo simul, at pluribus longe vicibus exoneravit cum enormibus ventriculi, & intestinorum torminibus, ita, ut quemadmodum febris in totum nunquam recederet, utraque etiam evacuatio assiduo, licet in remissione rarior, pergeret, donec, exacerbata denuo febre, magis etiam augeretur. Ad alterum accitus paroxysmum, symptomatis nimium ferocibus pacandis, dedi operam; externe enim ventriculo Emplastrum de ladano, ventri

tri cataplaſma emollientiſſimum appoſui; interne mixturam ex tota Mentha, & Laudan. liq. Sydenh. conflatam exhibui, unde & parcius, & facilius ægra dejecit, vomuitque; iisdem idcirco remediis etiam in remiſſionis intervallo inſiſtere, & corticis unciam in Electuarium redactam hoc ſimul tempore devorare juſſi. Febris redux nullum amplius vomitum comitem habuit, aliquas ſolum dejectiones produxit; ulteriori autem corticis uſu fugam penitus capeſſivit, ſana jam ægrotante, nec niſi naturalem quotidie alvum ponente.

CASUS VII.

Tertiana remittens ſimplex, cum Apoplexia, altera jam periodo letali.

Adoleſcens ſedecim annorum aurigæ ſervitium apud vicinum mihi ruſticum, Toifel appellatum obiens, finiente Menſe Septembri,

nihil antea conqueſtus, mutus ſubito poſt levem horripilationem evaſit, neque ullum ſenſuum ſignum, utcunque agitatus, & vellicatus præ ſe tulit, profunde ſtertens cum facie rubra. Cum hic morbi ſtatus medium fere nychthemerum perduraſſet, quin vicinus ipſe vel quidquam de illo reſciverim, ſenſim ad ſe rediit æger, ſenſus tamen ſtupore occupati erant, & loquela aliquantum læſa. Dum in procinctu eſſem, Viennam gravi ex cauſa proficiſcendi, accurrit ad me loci hujus balneator, rem exponit, neque ſe niſi paucis ante horis accitum eſſe (ſic nempe pauperculi negliguntur ruri domeſtici!) refert; conſilium porro ex me quærit, quidnam abſente me ſit facturus. Dum ſerio hæc meditarer, ægrum examinarem, & tam brevem gravis adeo apoplexiæ ſolutionem, ſine ullius uſu medicaminis, absque omni evacuatione critica demirarer, in eam merito deveni ſuſpicionem, an non febris remittens epidemica ſub apoplexiæ forma tragœdiam luderet. Juſſi igitur Balnea-

neatorem, ut corticem ægrotanti illico ingerat, ita ut unciam, ſi fieri poſſet, integram intra 24. horas abſumeret ægrotus; illud enim ſpatium ab exacerbatione metuenda ſupereſſe videbatur. Verum cum æger nihil amplius ſimile metuens, ſe jam in vado eſſe arbitratus, corticem ſive pulveris, ſive Electuarii forma reſpueret pertinaciter, febris ſtata hora die altera reverſa, apoplexia letali (venæ ſectionibus, & alvi ſubductionibus per enemata in caſſum a balneatore inſtitutis,) miſerum paucis horis interemit, procul dubio inter vivos adhuc numerandum, ſi integram, quam deſtinavi, Corticis unciam (vix quarta enim hujus pars illi potuit ingeri) ante funeſtam febris exacerbationem, aſſumſiſſet.

CASUS VIII.

Quotidiana remittens colliquativæ febris hecticæ habitum induta.

Falconarii Michalis Geben uxor, viginti aliquot annos nata, tene-

ræ, ac biliosæ temperiei, in septimum mensem gravida, mense integro Septembri, febre epidemica laboravit hoc modo, ut febricitaret quidem continuo, inclinante tamen die, longe notabilius, tussi sicca, frequenti, præcipue vesperi vexaretur, sudoribus maderet profusis, si leviter etiam stragulis cooperiretur. Accessus autem vespertini non rigore, aut frigore, sed sensu momentaneo, auræ quasi frigidiusculæ corpus afflantis, aliquoties iterato; subsequente dein mordaci calore, cephalalgia immani, siti intensa, aucta tussi, & sudoribus se prodiderunt. Aliquot jam septimanas sic transegerat ægra, priusquam me acerseret, noto illo axiomate abusa: graviditatis tempore medicinam non esse faciundam. Verum dum corpus plurimum emaciari, vires sensim evanescere adverteret, me demum vocat. Accuratius perpensa historia morbi, & conspecto sedimine urinæ lateritio, non dubitavi de epidemicæ remittentis præsentia. Corticem ideo Electuarii forme præbui,

matu-

matutinis, & primis pomeridie horis, magna dosi sumendum. Sed cum ægrota ingratum palato remedium vel cultelli apice solummmodo delibaret, vix notabile percepit levamen; serio tamen, ut & suæ, & insontis Embryonis vitæ consuleret, exhortanti mihi, sedulo obsecuta, devorata corticis uncia sesqnialtera, a febre, tussi, sudoribus paucis diebus fuit liberata, & reliquum graviditatis spatium sana cum valetudine emensa, vegetum puellum felici partu enixa est.

CASUS IX.

Tertiana remittens duplicata sub veræ, & sævæ pleuritidis larva.

Lanionis nostri Heim sexagenaria uxor, 26. Octobris corpus a motu calens, frigidiori auræ vesperi exponens, horripilatione, corripitur, & frigore, quibus aliquamdiu durantibus se jungit calor vehemens; lateris dextri dolor validus, ad spinam usque dorsi se extendens; tus-

sis

ſis frequens, ſicca, dolorem immaniter augens; respiratio brevis, dolens, ſuppreſſa. Nox inſomnis fuit, & laborioſa. Cum eadem & luce altera perſeverarent, meam implorat opem. Morbi cauſa percepta, modo dicta coram ſpectans, pulſumque deprehendens ſumme febrilem, plenum, durum; linguam albam, ſiccam, de veræ Pleuritidis præſentia minime ambigebam. Sanguinem itaque ex affecti lateris brachio evacuari, & cataplaſma emollientiſſimum loco dolenti admoveri juſſi, reliquamve hic artem haud negligenter adminiſtravi. Denſam in ſuperficie cruſtam inflammatoriam gerebat ſanguis. Mitiora inde ſymptomata. Prima a meridie hora ejuſdem diei horror cum levi frigore recurrit, increverunt denuo calor febris, tuſſis, dolor &c. & quod pulſus æque durus, ac plenus, quam antea vibraret, venæ ſectionem, aliaque repetii. Sanguis iterum fuit phlogiſticus. Remiſerunt veſperi cum febre ſymptomata. 28. Octobris veſperaſente die, horripilationem re-

du-

reducem excipiunt dolor, calor, tussis &c. immaniter adaucti, noctem ideo valde laboriosam reddentes, & luce altera remittentes, rursus a meridie prævio horrore aliquo exacerbati sunt. Hoc interea tempore cataplasmata solum assiduo renovata, & nitrosa refrigerantia emulsa sunt exhibita: a venæ sectione autem ulteriori abstinui, tum quod vires plurimum essent dejectæ, tum quod ex præsenti morbi decursu, & lateritio urinæ sedimine abunde constaret, neutiquam veram cum continua acuta febre adesse pleuritidem, sed sub pleuritidis larva febrem delitescere epidemiam, tertianam nempe remittentem, duplicatam. Hinc corticis unciam mixturæ forma ante reditum proximi, illiusque sævioris vespertini paroxysmi, integre sumendum, præbui. Quo factum, ut non nisi majorem paulo calorem, tussi, & dolore lateris non magis auctis, ea nocte ægra perceperit; & cum die altera prosequeretur remedium, vix umbram pomeridianæ exacerbationis experta est; quare in usu cor-

corticis vix impedita, paucis diebus tuſſi, dolore, calore, febri immunis, priſtinæ ſanitati reſtituta eſt.

CASUS X.

Tertiana remittens ſimplex ex gravi ægrotantis errore in duplicatam malignam cum petechiis verſa.

Paterfamilias illius Domus, in qua AUGUSTISSIMÆ Munificentia hujus loci Phyſicus habitaculum tenet, Gamauf appellatus, vir quadragenario major, inchoante menſe Septembri, tertiana ſimplici epidemica laboravit. Cum procatarcticam febris cauſam ſaburra cruditatum in primis viis ſtabulantium conſtitueret, emetico eam ſuſtuli, unde vix notabiles fuerunt febris acceſſus. Ferocior hæc inſurgit, dum ille ſuillis carnibus, ſale conditis, & fumo induratis, aliisque duriſſimis alimentis debilem adhuc oneraret ventriculum. Purgans ideo dedi, & dein ſa-

ſalia neutra Ammoniaco ſociata cum decocto ſolvente, aperiente. Miteſcit febris, & receptum parat. Sed ecce, ægrotus in nocturno paroxyſmo, licet ſatis miti, vehementer ſitiens, ſudore madens, de lecto ſurgit, & cum potum ex neglectu cuſtodis filiæ, in cubili non reperiret, pallio quodam lacero leviter veſtitus, nudipes in atrium prodit, frigidamque ibi inventam aquam repetitis hauſtibus larga copia ingurgitat. Hinc dum mane eum viſerem, perſpiratio penitus ſuppreſſa erat, cutis rigida, mens leviter delira, pulſus celer, debilis, vires proſtratæ, inquietudo & jactitationes aſſiduæ, præcordia dura, tenſa, ſenſu ægri magno quaſi onere gravata, dolentia. Ad naturalem igitur diaphoreſin reſtituendam, & cum non adeo inflammatio, & humorum inſpiſſatio, quam repercuſſi ſudoris, & perſpirabilis corruptio, ac putrida ſanguinis diſſolutio ex ægri enarrata conditione metuenda eſſet, leniora diaphoretica propinavi cum infuſo congruo, cui ſpiritum Vitrioli inſtil-

la-

lavi. Circa meridiem cutis erat mollis, perſpiratio aliqua, urina aquoſa, turbida, reliqua eadem. Veſperi, præter morem, exacerbata febre, peſſimum in ſtatum devenit æger. Pulſus vibrabat celer, contractus, debilis; anxia, dolentia erant præcordia; vires magis adhuc dejectæ; nunc delirabat, nunc comate commatode mergebatur æger; tremores, & ſubſultus tendinum advertebantur; maculæ petechiales purpureæ in collo, & pectore apparebant. Veſicantia idcirco ſuris admota, interne mixtura camphorata cum aceto data, & pro potu decoctum ſpecierum antifebrilium cum Spiritu vitrioli fuit exhibitum. Veſicantia, quamvis per 24. horas relicta, parvas ſuſtulerunt veſiculas, unde pauca lympha, ad ignem tamen coiens, effluxit. Pulſus autem elevatior, minus febrilis, mens magis conſtans, minus anxius, inquietus, & ſoporoſus æger fuit. Perſtiterunt maculæ purpureæ, numero non nihil auctæ. Præter reliqua cortex etiam exhiberi cœptus. Sed brevi

vi poſtea exacerbatio ſolita tertianæ prioris acceſſit, quam conſpicuam reddiderunt pulſus celerior, ſitis major, ægritudo gravior, delirium frequentius, inquietudo aucta. Remiſerunt hæc ſymptomata orto Sole. Urina hucusque turbida, ſedimen poſuit lateritium. Cortici igitur ſolertius inſtiti, ut gravior recentis tertianæ paroxyſmus, eo die metuendus, maxima ſaltem ex parte ſufflaminaretur; quod etiam obtinui. Maculæ petechiales pallidiores factæ ſunt, nec numero plures. Cum tunc temporis ægrotantis conſanguinei proponerent, ut alium adhuc Medicum conſilii cauſa accerſerem, Clariſſimum Viennenſem Medicum D. Pök accivi. Cum vires paulo eſſent majores, nec præcordiorum amplius premeret oppreſſio, maculæ evaneſcere viderentur, camphoram detraximus; cortici vero ſalem polycreſtum addidimus, ut ſegnior alvus melius fungeretur officio. Febris hac ratione ſenſim diſparuit. Reconvaleſcenti remedia, primas vias roborantia aliquamdiu exhi-

bui, quod eum brevi ad duriorem victum rediturum, facile præviderem. Petiit interim a me purgans, quod cum illi tum ob vires adhuc imbecilles, tum ob febris cortice expugnatæ recidivæ metum tum temporis negarem, moræ impatiens, nescio a quo sat drasticum sumsit, a quo, quamquam febris non fuerit resuscitata, eam tamen passus est jacturam virium, quam plurium septimanarum spatio vix potuit recuperari.

CASUS XI.

Tertiana remittens duplicata, cum Syncope, & pessimis aliis ac peculiaribus Symptomatis.

Johannes Dörffler Comitis de Parr hic loci hortulanus, vir triginta aliquot annos natus, medio Junio An. 1760. febre epidemica decubuit perniciosissima, remittente, duplicatæ tertianæ periodos observante. Paroxysmum inchoabat frigus, ad maximum al-

algorem ſucceſſive aſcendens, qui, referente ægro, a ſummis humeris, cum ſenſu doloris accutiſſimi, lancinantis, quaſi acus valide pungentis, per totum brachium decurrebat, digitos manuum ſingulos ad apicem usque ſeorſim percurrens: tunc rurſum ad humeros aſcendit, & inde a parte anteriore per pectus, & abdomen, a poſteriore per dorſum integrum, dein per femora, crura ad pedum digitos deſcendit, quos, poſteaquam ſingulos, ut in manibus, permeaſſet, demum evanuit. Hoc demirandi algoris ſtadium ultra binas duravit horas. Frigus interim grande fuit; corpus rigidum, pene immobile, præcipue ob doloris magnitudinem; pulſus parvus, debilis admodum, & inæqualis, difficilis, & anxia reſpiratio. Calor tunc ſequebatur, eodem prorſus modo corpus integrum per partes ſingulas penetrans, niſi quod dolor qui calorem comitabatur, lancinans, aucutiſſimus non algoris, ſed ignitæ quaſi pungentis acus ſenſum exprimeret. Perſeverabat calor, per totum jam

corpus diffusus per plures horas, dum interea gravis cardialgia frequentes, & fere continuas induceret Leipothymias, pulsu nunc celeri, & valde debili, nunc plane intermittente. Profusissimus denique toto corpore emersit sudor cum intolerabili dolore capitis, calvariam quasi, conquerente ægro, findente, dolore valido lumborum, & vehementi adeo, & dolorifico aurium tinnitu, atque vertigine; ut apoplexia se afficiendum, perpetuo ejularet ægrotus. Sudor hic per plures horas adeo profundebatur, ut indusium ægri & lecti linteamina penitus maderent. Post ingentes ejusmodi sedecim horarum labores remiserunt cum febre symptomata; ast breve fuit hoc intervallum: cum paulo postea alterius tertianæ paroxysmus accederet, similemque, immo funestiorem semper luderet tragœdiam, quo sæpius reverteretur. Quinque jam paroxysmos sustinuit ægrotus, priusquam cortex est exhibitus. Binos enim priores facile tulit, quippe multo leviores. Tertio vero graviori vexatus, me primo

vo-

vocavit. Symptomata tunc compeſcere contendi, & remiſſionis tempore pulverem illum febrifugum, ex Sale ammoniaco, & alcalinis conflatum propinavi. Sed proſpero & hac vice fruſtrabar ſucceſſu. Quarta redux exacerbatio eam jam præ ſe tulit ferociam, quam ſupra deſcripſi, & cum diuturnior fuerit, prioribus, vix deguſtari cœpit cortex, cum quinta rediret acceſſio graviſſima, in quo animo deficiens æger cardiacis aſſiduo refectus, & admoleſtiſſimum aurium tinnitum, & dolorem mitigandum, vertiginem avertendam, epithemata, epiſpaſtica, omniaque artis adminicula adminiſtrata ſunt. Ex hac autem tempeſtatum vi emergenti, uncia corticis Electuarii forma ingeſta eſt. Rediit quidem inde acceſſio, at facie longe aliena. Etenim ſenſus ille perquam moleſtus primo algoris, dein ardoris cum dolore acutiſſimo ſingulas corporis partes ſeorſim permeans, vix fuit notabilis; nullum in caloris ſtadio obortum animi deliquium; abfuit cum vertigine dolentiſſimus aurium tinnitus;

tus; intensus tamen capitis, & lumborum dolor, & copiosus sudor defatigarunt ægrotantem; quatuor etiam horis brevior fuit hic accessus. Corticem tunc ille strenue prosecutus, binorum spatio dierum, ab omni febre, & ægritudine liberatus est. Vires modo immaniter dejectæ, diætæ analepticæ & remediorum cardiacorum, ac roborantium ope resarciendæ supererant. Suasi insuper, ut mediam adhuc corticis unciam recidivæ præcavendæ ergo absumeret, quod dum ille negligeret, graviter ideo mulctatus est. Namque dum binis a fugata febre septimanis, viribus jam plurimum valens summo mane, humida tempestate, terram fodicaret, frigus denuo, virium momentaneam jacturam, & ne nova repetitione tœdium pariam, recidivam patitur tertianæ duplicatæ, quæ accessione altera eam jam exercuit sævitiem, quam supra recensui. Corticem ideo, hac vix finiente, ingessi, unde exacerbatio mitis primo reversa; dein prorsus evanuit. Sumpsit in hac recidiva æger unam corticis un-

unciam, & ad præcavendum deinceps febris reditum, mediam; adeoque universim tres corticis uncias devoravit, firmiore inde, quam unquam tenuit, sanitate potitus.

CASUS XII.

Tertiana remittens duplicata, cum Syncope, Passione hysterica, Delirio &c.

Balneatoris Mosbrunnensis Rimmel uxor, triginta duos annos nata, mobilis admodum nervosi systematis mulier, mense Julio epidemica, remittente febre corripitur; quæ levioribus aliquot paroxysmis prægressis, in duplicatam tertianam abiit, truculentis symptomatis stipatam. Agmen duxerunt oscitationes, ac pandiculationes aliquæ; sequebatur subitanea, & omnimoda virium dejectio; passio tunc hysterica ægram dire vexavit, ac quasi jugulavit; inde animi deliquium veram in syncopen cum frigido in facie sudore, pulsus asphy-

xia desinens. Post multas refocillationes, per cardiaca, antihysterica extus, intusque administrata revivescebat ægra, pulsu micante debili, celeri, inæquali; haud diu post insurgebat denuo passio, vel sic dicta suffocatio uterina, in syncopen rursus terminata; atque ita pessima hæc mala, aliquoties alternantia, efficiebant frigoris stadium, sane horrendum. Hoc excepit calor vehemens cum delirio fere continuo, & inquietudine; sudor tandem immoderatus, & per horas protractus, cum sensu concussorum quasi ossium, & immani cephalalgia paroxysmum finivit. Plurima sic nychthemeri parte, & ut ita dicam, in mortis confinio transacta, debilissima mulier, fere artus movere impotens, vix somno brevi, ac jure carnium se reficere poterat, cum alterius tertianæ exacerbatio ingrueret, a qua eas in angustias conjecta est, ut extrema unctione muniri eam, necesse fuerit. Tum ego in opem vocatus, inveni ægram viribus pœne exhaustam, facie squallidam, cum pul-

pulſu celeri, parvo, debiliſſimo, ut vere aſſeverare queam, unam, aut plurimum binas exacerbationes ſimiles, ſalva vita ſuſtinere illam nequaquam potuiſſe. Probe igitur examinata morbi hiſtoria, & viſo lateritio urinæ ſedimento, de perniciofiſſimæ febris Epidemicæ præſentia abunde convictus, corticis unciam, ſi fieri poſſet, integram cum remediis cardiacis, & nervinis in Electuarium redactam, exiguo remiſſionis intervallo ingeri juſſi. Maxima ejus parte abſumpta, acceſſus rediit immaniter mutatus. Quippe in frigoris ſtadio, nec paſſio hyſterica orta eſt, nec animi deliquium; calor quoque, & capitis dolor mitiores multo fuere; mens ſemper conſtitit, & moderatus ſudor cito finem impoſuit. Quare corticis uſui diligenter inſiſtens ægra, libera penitus ab omni febre, ac ægritudine evaſit. Vires ſolum Diæta analeptica, opitulantibus remediis roborantibus, reſarciendæ erant. Et ab illo tempore, valetudinaria alias, ſolida ſanitate gaviſa eſt.

CASUS XIII.

Tertiana remittens duplicata, cum ſæviſſimo Algore, Syncope &c.

Caupo Trumavienſis, Stitteriz nomine, vir quadragenario proximus, Temperamenti atrabiliarii, primis Auguſti menſis diebus, incaute ſub arbore pernoctans, febre mox epidemica correptus eſt. Propter oris amaritiem, & leviores nauſeas emeticum ſumſit, unde frequentiſſime ſurſum, & deorſum purgatus eſt. Febris vero non ſolum, non mitior inde reddita, ſed in tertianam potius duplicatam pernicioſam admodum degeneravit. Terribile fuit algoris ſtadium. Frigus enim increvit adeo, ut totum corpus, & imprimis pedes, licet augerentur ſtragula, linteamina calida corpori, calefacti lateres pedibus aſſiduo admoverentur, trunci inſtar immobilis per horas vehementer algerent, rigerentque, nec niſi ſuperveniente febris calore incaleſcerent.

Du-

Durante hoc algore, præcordiorum oppressio, & cardialgia gravis syncopen sæpius induxerunt, ita, ut perpetuis refocillationibus opus esset. Caloris stadium præter alia validissimum capitis, & molestum ossium quasi detolatorum dolorem cum inextinguenda siti produxit. Modico demum erumpente sudore melius æger se habuit, sed debilis adeo, ut nec se vel in lecto solus vertere potuerit. Tertiæ ejusmodi exacerbationis tempore accitus ego, morbi historiam edoctus, & urinæ signo adjutus, tertianam duplicatam evidenter detexi; atque ex virium inanitione, vultu mœsto, luridaque facie discriminis magnitudinem dimensus, corticis unciam Electuarii forma præscripsi, cujus saltem partem mediam, angusto remissionis spatio sumeret. Febris quidem exacerbata est, nec tamen enorme illud frigus, nec animi deliquium comites habuit, & longe citius remisit; absumpto autem electuario penitus evanuit. Verum quia ulteriorem corticis usum recidivæ prohibendæ gratia ille negli-

geret,

geret, & nocturno frigori se præmature exponeret, febri tertiana simplici mulctatus est, gravi quidem, non tamen periculosis symptomatis sociata. Ab hac quoque corticis ope liber, minime vero ejus usui insistens in quotidianam paulo postea incidit, & vix ἀπύρετος, denuo relabitur, cortice semper vindicatus, & ab eo tempore vivit sanissimus. Itaque septimanarum quinque intervallo, febre quater decubuit, & universim quatuor corticis uncias devoravit.

CASUS XIV.

Tertiana remittens, duplicata, cum Delirio, & affectu καρωδη.

Vir quadragenarius, multum obesus, Rabel vocatus, Magister, ut ajunt, eorum, qui Falcones ad venatum ardearum condocefaciunt, medio Augusto frigidam cerevisiam, a motu corporis calens, ingurgitans, horrore, calore, febre prehenditur cum

cum magna præcordiorum oppreſſione, anorexia, nauſea, ructibus amaris, nidoroſis, oris amaritie, dolore capitis, vertigine &c. Ad ſaburram igitur bilioſam in ventriculo ſtabulantem eliminandam, emeticum dare mens erat; id vero cum nulla ratione admitteret, præmiſſo magna copia diluente, nitroſo decocto, purgans ex tartaro, nitro, & ſale polycreſto exhibui, a quo alvus ſaturate flava octies cum levamine omnium ſymptomatum ſoluta eſt. Tertia morbi die, veſperi ſine notabili prævio horrore, anxietates ad præcordia, ſitis cum febre augebantur, & noctem inſomniis terrificis turbatam effecerunt. Melius habuit die quarta, hac tamen finiente anxietates fere intolerabiles, nauſea continua, & alia hujus cenſus ſymtomata, veluti in morbi principio accedunt; hinc quamvis paroxyſmum primo inchoare adverterem, urgente tamen & ægro ipſo, & indicatione drachmam mediam Rad. Hypechachuanæ propinavi, unde pluries bilem porraceam, multo glutine involutam

lutam evomuit, & alvo ſimul exoneravit. Anxietates minuebantur, ceſſabat nauſea, calor tamen vehemens cum ſiti magna, & gravi capitis dolore noctem admodum laborioſam reddiderunt. Remiſerunt hæc ſymptomata cum febre ſequenti mane, urina ſedimen poſuit lateritium. Veſperi exacerbatio facta eſt, ſed paulo mitior, illi nempe ſimilis, qui die morbi tertia acceſſit. Sat manifeſto jam apparuit, tertianam adeſſe duplicatam; verum quod evacuata ſaburra bilioſa, mitiores ſperarem paroxyſmos, ſalibus neutris & ſale ammoniaco primo uti conſtituebam. Attamen tertianæ alterius paroxyſmus gravis admodum, & periculoſus rediit: nulla prægreſſa horripilatione, immo ne quidem oſcitatione, anxietates præcordiorum, & cardialgia vehemens per horam ægrum immaniter torquent; inſurgit dein calor vere mordax; pulſus celer, durus vibrat; reſpiratio magna & ſublimis eſt; facies prærubra æger nunc cum ſtertore profunde dormit, nunc valide excitatus,

ferox

ferox cum vultu minaci, oculis fixis delirat, brevi denuo sopore mersus. Libenter sanguinem e pede detraxissem, nisi ægri furor, aliæque circumstantiæ prohibuissent; epispastica ideo plantis pedum apposui, & emulsum nitrosum refrigerans pro potu dedi. Sex horis duravit grave hoc caloris stadium; dein successive absque notabili sudore mitiora omnia facta sunt. Hic jam non incertis amplius remediis, sed delphico suo gladio perniciosam adeo febrim illico confodiendam esse, conclusi. Sex corticis drachmæ, remissionis tempore ingestæ, tertianæ unius paroxysmum, licet de se etiam paulo leviorem, magis adhuc compescuerunt, & dum perfecta hucusque adfuisset anorexia, appetitum aliquem exsuscitarunt. Media corticis uncia noviter assumpta, sæviorem quoque tertianam mitigavit; nam præterquam quod sex horis tardius accesserit, delirium in ea fuit exiguum, anxietates longe minores, respiratio facilis, sopor, vigente paroxysmo, nullus, hoc autem finiente, placidus,

na-

naturalis. Repetito dein corticis ufu, febris quidem omnino difparuit, fed illis horis, quibus hæc antea exacerbari folebat, pulfu minime febrili, cephalalgia acceffit immanis adeo, ut fi per diem integrum eadem cum ferocia perfeveraffet, fe in furorem agi oportuiffe, conquereretur ægrotus; duravit autem octo circiter horis; præterea more tertianæ duplicatæ, alterna vefpera multo gravior exftitit. Media corticis uncia cephalalgiam hanc penitus fugavit. Sanus jam omni ex parte æger tertia feptimana quotidiana vexatur (vix enim acceffuum, aut fymptomatum diftinctionem erat deprehendere) cujus præcipuum fymptoma rurfum fuit dolor capitis enormis. Citam tulit opem una corticis uncia; cujus ufum quamvis etiam ἀπύρετος profequeretur, nihilominus recidivam paffus eft, dein vero folida, ac conftante fanitate potitus. Toto morbi decurfu quinque corticis uncias confumfit.

Ce-

Cephalalgias tales, ut & Hemicranias periodicas ſæviſſimas pluries, durante hac Epidemia obſervavi.

CASUS XV.

Tertiana remittens ſimplex perniciosiſſima Cardialgica, & Syncopalis.

Sexagenaria mulier, infantum cuſtos apud cauponem Laxenburgenſem, Nader appellatum, aliquot jam diebus febre remittente laborans, non tamen certis periodis exacerbata, uti ſæpius obtigit, & nauſea, ructibusque nidoroſis vexata, vomitorium primo, hoc vero parum adjuta, purgans a Balneatore ſumſit. Verum 18. Auguſti circa quintam veſpertinam extra lectum hærens, ſubito, nec vel minimo præcedente horrore, viribus prope omnibus deſtituta, animo linquitur; cardiacis refecta, & in lectum delata, immanem cardiæ, ac præcordiorum oppreſſionem atque ardorem, anxietates intolerabiles,

non nisi assiduo gemitu, ejulatu, & pugni proprii ad ea loca impulsione manifestare potuit, doloris, & oppressionis acerbitate vocem fere penitus cohibente. Vomuit quoque sæpius, malo tamen inde potius adaucto, quam imminuto. Tum ego accersitus, pulsum deprehendi celerem, debilissimum, inæqualem; respirationem parvam luctuosam; faciem fere cadaverosam. Cataplasma emollientissimum epigastrio apposui; interne cardiaca, neurotica, paregorica propinavi. Nihil inde levaminis, præter vomitus inhibitionem percepit; immo frigido erumpente sudore, respiratione vix non omnino intercepta, & pulsu longo tempore intermittente, extrema unctione communiri debuit. At morti jam proxima, post extremos octo fere horarum labores, ardorem, oppressionemque cardiæ minui, læta jam voce exclamat, & reliquam noctis partem quietior, vigil tamen transigit. Dum summo mane accederem, longe minus de præcordiorum anxietatibus conquerebatur;

vi-

vivida magis, & rubella erat facies; respiratio facilis, & magna; pulsus fortis, plenus, celer, sitis vehemens; lingua sicca, alba; dolor capitis validus; paucis opposita adeo erat rerum facies, ut nisi exacte ægrotantem novissem, aliam me hodie ægram invisere omnino credidissem. Nihil certi hucusque de morbi indole concludere licuit; quare nitrosa, & refrigerantia interim exhibui. Vesperi sudor multus toto ex corpore emanavit; febris inde plurimum cessavit, & tranquille ægra noctu dormivit. Mane insequenti ægra parum febricitavit, & nihil fere nisi anxietates præcordiorum leviores, lenem dolorem capitis, & magnam virium jacturam conquesta est. Urina rubri admodum coloris fuit, sine ullo sedimento nubeculam solum in medio suspensam gerens. Suspicionem quidem febris epidemicæ movere poterant celeris adeo, & notabilis morbi remissio, analogia symptomatum, epidemica febrium similium, tunc temporis dominans, urina tamen lateritio se-

dimine destituta, signum hucusque in ejusmodi febribus evidens, a me observatum, suspendit animum, at simul turpiter fefellit. Vesperi enim 20. Augusti vires denuo subitanee corruunt, animo linquitur ægra, ardor, & præcordiorum oppressio, omniaque priora symptomata vehementissime recrudescunt, & octo rursum horis in extremas angustias (quidquid allaboraverim) ægram conjiciunt; tum remittentibus his, calor, sitis, dolor Capitis validissime tota die sæviunt, copioso demum sudore plurimum imminuti. Nullus jam dubio locus supererat, perniciosissimam febrim popularem hanc ludere tragœdiam, ita, ut extremi illi octo horarum labores, quos Leipothymia frequens, cardialgia enormis, anxietates summæ cum pulsus asphyxia, sudore frigido &c. constituebant, stadium illud, frigoris alias nuncupatum, efficerent; caloris vero stadium tunc insecutum, summo cum impetu diem integram absumeret; adeoque tota exacerbatio triginta fere horis per-

du-

duraret. Hac igitur remittente, quamvis urina necdum poneret lateritium ſedimen, corticem illico exhibere cœpi; media ejus uncia aſſumta, paroxyſmum quidem non inhibuit; nulla tamen Leipothymia, nullus vomitus, anxietates, & cardialgia infinities leviores, calor autem, & ejus comites moderati redierunt, & exacerbatio integra duodecim horarum ſpatio penitus terminata eſt. Quare uſui corticis inſiſtens ægra brevi tempore omnino convaluit.

CASUS XVI.

Tertiana remittens ſimplex cum violenta Cholera, Leipothymia &c.

Homo viginti aliquot annorum Michael Dörenberger, ſervus hic loci ſtabularius, medio menſe Julio tertiana laborat. Ob moleſtas, ac frequentes nauſeas purgans ſumit a balneatore, unde egregie purgatur; rediit tamen exacerbatio, & leviori cholera ſtipata. Poſteaquam ſic peccans biliosa ſaburra ſurſum, deor-

ſumque probe fuit exterminata, febris cum omni morbo diſparuit. 19. Augusti mane exigua horripilatione prægreſſa, graves adeo anxietates opprimunt præcordia, ut animo deficeret aliquoties; brevi poſt Diarrhæa valida exoritur, quæ cum ſubſecuto calore, ſiti, ad veſperas usque tenuit. Paulo melius luce altera ſe habens, de lecto ſurrexit, ac labores ſuos in mundandis, ac cibandis equis utcunque peregit, debilis, & alvo ſæpius dejiciens. 21. Aug. mane, prævio horrore levi, anxietates præcordiorum recurrunt, ac valide adeo ingraveſcunt, ut veram Syncopen iterum, iterumque inducerent. Violenta ſequitur cholera, vi cujus non ſolum frequentiſſime dejecit, ſed & flavam, porraceam bilem primo, dein grummoſum plane ſanguinem crebro evomuit, cum ingenti virium diſpendio. Calor tunc, ſitis, dolor capitis ſe junxerunt. Meam his in anguſtiis implorat opem. Febricitabat impenſe, pulſu tamen debili parvo, cum facie lurida, & aſſiduo gemitu. Examinata mor-

morbi hiſtoria, cognitaque febri epidemica ex mali decurſu, ſymptomata mitigare, interea laboravi. Scutum ſtomachicum opiatum epigaſtrio admovi, & præter magnam juriscarnium copiam, parca, ſed ſæpiſſime repetita doſi ingeſtam, Theriacæ Andromachi Scrupulos binos exhibui. Vomitus inde ceſſavit, alvus rarior evaſit, ſudor multos promanavit, & nox ſomno placido transacta eſt. Die altera non niſi de debilitate enormi, & leviori cephalalgia conquerebatur, parum febricitans; oris autem labia puſtulis minoribus, pus verum continentibus, denſiſſime erant referta. Quæ res ſecurum adeo reddidit ægrum, ut nullo modo ad ſumenda ultra remedia (corticem quippe propinare conſtitui) perſuaderi potuerit, licet vel ipſam necem, redeunte ſimili paroxyſmo, illi præſagirem. Et ecce, præter omnem ſpem, immo de ſalute ægri me vel maxime anxio, febre prorſus immunis, ſolo jure carnium, & vino modico dein uſus, paucorum dierum ſpatio, ſanitatem integram recuperat. Unicus

cus hic eſt, qui ſingulari naturæ beneficio, ſine cortice, ſine omni febrifugo, tam gravi febre, celeriter adeo liberatus eſt; & abſque omni recidiva vitam vivit hodiedum ſaniſſimam. An biliosa ſaburra, quæ circa præcordia hærens, materialem febris cauſam conſtituebat, ſurſum, deorſumque evacuata, reliqua vero morboſa materia criticis quaſi oris eflorescentiis penitus eliminata, febris ideo neceſſario evaneſcere debuit? Hæc profecto phœnomeni videtur eſſe ratio; neque opiato hic effectus tribuendus, vix duas tertias enim grani opii partes æquabat illud; niſi forte ea ex parte, quod Theriaca Andromachi, utpote ſtimulans admodum remedium, motum humorum magis augendo, ac vires naturæ excitando, hanc in producendis criticis illis oris puſtulis, aliquantum adjuverit.

Casus XVII.

Febris remittens erratica, ſub moleſtiſſimæ Dyſenteriæ habitu.

Vir quadragenarius, cui nomen Sturzenheimer, pellio in oppido

do Mödling, medio Augusti mense Diarrhæa valida affectus est, quæ unius septimanæ intervallo, accedentibus validis torminibus, alvo cruenta, tenesmo difficillimo in pessimam Dysenteriam degeneravit. Sumsit interea a balneatore illius loci Rheum tostum, aliaque adstringentia, & opiata. Curæ meæ se subjecit 21. Augusti. Pulsus erat multum febrilis, magnus, durus; respiratio celeris, anxia; vires admodum dejectæ; alvus biliosa, pauca, frequentissima; singula enim octava horæ parte, liquor biliosus cum striis sanguineis, cochlearis communis cavo facile continendus prodibat, præcedentibus validis torminibus, comitante, ac subsequente molesto adeo tenesmo, ut animo toties linqueretur æger, quoties alvum poneret; sitis præterea intensa urgebat, & perfecta aderat anorexia. Quæsivi, num enarrata hæc mala uno die graviora essent, leviora altero. Reposuit cum uxore ægrotus, ingravescere quidem illa, & remittere, sed incerta ratione, ita, ut sæpe bis in

die exacerbentur, quandoque ſemel; immo & non nunquam per biduum eadem cum ferocia perdurent; veſperi tamen plerumque intendi omnia. Cum itaque nil certi inde diſcerem, neque urinam videre poſſem, ſymptomata interim lenire concluſi, donec verus morbi genius magis pateſceret. Venæ ſectionem imperavi; ſanguis eductus, brevi tempore cruſta lardacea obductus eſt. Abdomini integro cataplaſma emollientiſſimum, ſæpius renovandum fuit impoſitum; aliquoties de die binæ olei lini unciæ alvo immiſſæ; interne vero paregorica ſunt exhibita. Leniora inde tormina, alvus rarior, teneſmus mitior, nullum animi deliquium. Veſperi omnia exacerbata ſunt; remiſerunt mane; ſed brevi poſt denuo ingraveſcebant. Urina ſedimen habuit lateritium; pulſus celer fuit, & mollis. Periodici quidquam inde quidem conſtabat, & urinæ ſignum latentem febrim denotabat, corticem tamen nondum propinare viſum eſt, donec certa febris periodus ſe manifeſtaret.

In-

Interim ad humorum acrimoniam demulcendam, leniterque evacuandam, alterno mane Rheum cum Bolo armena, omni autem vespera opiatum exhibui; decoctum ex tota althæa pro potu, ut & interdiu calidum sorbillandum dedi, & cum tenesmus ab oleo lini alvo immisso nihil mitesceret, sed anxietates summas, & ipsam induceret Leipothymiam, lac purum tepidum cum theriaca Andromachi injici jussi. Sed omnis opera inanis fuit. Dysenteria cum gravissimis suis symptomatis, nec minimum emendata est; & quia somnus vix ullus in oculos poterat irrepere, ob assiduas, molestissimasque dejectiones, appetitus penitus, & cum horrore in omnes cibos erat prostratus, ingens virium jactura secuta est. His in circumstantiis, cum urina lateritium sæpe poneret sedimentum, febris cum Dysenteria, torminibus, tenesmo per vices, quamquam omnino irregulares exacerbari pergeret, & remittere, ita tamen, ut remissionis induciæ vix aliquot horarum essent, ad solum jam cor-

corticem confugi, quem ope Syrupi Diacodii in Electuarium redactum, remittente malo, magna dosi sumere imperavi. Vix mediam ejus unciam devoravit æger, cum alvus longe rarius poneretur, tormina mitescerent, & tenesmus nulla ratione antea compescendus, fere penitus cessaret, pulsus demum celeritatem amitteret. Repetito dein corticis usu febris cum Dysenteria, torminibus, tenesmo sensim evanuit, & ita post plena sanitate æger potitus est.

CASUS XVIII.

Tertiana remittens duplicata cum Cardialgia in Syncopen desinente, & Exanthematis.

Falconarius quidam Stadler, vocatus, viginti aliquot annos natus, 22. Augusti Viennam mane proficiscens, in itinere validis horripilationibus corripitur. Viennæ potum Caffee bibit, sed vomitu quantocyus re-

rejicit; alia ob ſitim urgentem tentat liquida, verum ea protinus evomit. Calor inde vehemens ſequitur cum gravi capitis dolore; reditum igitur maturat. Brevi a meridie Laxenburgum perveniens, lectum petit, & magna cum febri, ſiti, cephalalgia per plures horas valide ſudat, non nihil ſaporoſus. Decoctum interim diluens nitroſum copioſe potavit; capiti epithema diſcutiens, domeſticum, plantis epiſpaſtica admota ſunt. Minuebantur ſenſim cum febri ſitis, dolor capitis; in ſomnum vero proclivis erat æger, ſed vix obdormiens, cum horrore evigilabat. Nox ita tranſiit. Mane denuo magis febricitavit, & de ructibus amaris, nauſea aſſidua, ventriculi inflatione, anxietatibus magnis præcordiorum, vertigine, dolore ſyncipitis, lingua flava, ſordida multum querebatur. Lene ex Hypechachuana emeticum, a quo bilis ſaturate flava ſurſum, deorſumque aliquoties evacuata eſt, mala illa plurimum compeſcuit. Febris tamen per maximam diei partem cum ſolitis ſuis ſym-

ſymptomatis perrexit, veſperi, & nocturno tempore aliquantum remiſſior. 24. Aug. mane immaniter febris exacerbata eſt, ſine omni horripilatione levis cholera ducebat choream, ſequebantur anxietates præcordiorum intolerabiles, Leipothymiam crebro afferentes, morſus, & ardor permoleſtus cardiæ, pulſu micante celerrimo, debili contracto; ægro viribus exhauſto, inæqualiter, & cum gemitu reſpirante, blande tamen calente, niſi dum animo deficeret; increvit poſt bihorium calor, pulſus celer, fortior vibravit; ſitis valida acceſſit; ſudor copioſus toto corpore emerſit; auxietates, & Cardialgia non ſolum non imminutæ ſunt, ſed potius adauctæ; Leipothymiæ autem Comma agrypnodes ſucceſſit. Durarunt iſta ad veſperam usque, ubi iterum remiſerunt. Luce altera rurſus facta eſt exacerbatio, ſed multo levior, nauſeis tantum, oppreſſionibus, ac diuturnitate moleſta, omnino nempe ſimilis paroxyſmo penultimo. At cum ſudore profuſo a meridie toto corpore

re prodierunt, præcipue in extremitatibus efflorescentiæ, cæsuris urticarum similes puncto temporis, extra stragula hærente manu, evanescentes, ac cito redeuntes, illa sub stragulis posita. Jam hesterno die gravis mihi oborta erat suspicio epidemicæ febris; hodie autem, tum ex mitiori accessu, tum ex lateritio urinæ sedimento manifesto constitit, duplicatam adesse tertianam remittentem, satis perniciosam. Cum igitur sequenti die gravioris tertianæ accessio, adeoque magnum vitæ periculum esset metuendum, ægrum eousque inermem relinqere, piaculum esse ratus, vix remittente circa vesperam leviori hoc paroxysmo, mediam corticis unciam electuarii forma, noctu sumendam exhibui. Febris inde haudquaquam siluit; sed quanquam anxietates multo fuerint minores, vomitus nullus, alvus pauca, nulla animi deliquia, vehemens tamen calor, magna virium debilitas, mentis interdum alienatio, sudor copiosus, & comma agrypnodes per sedecim fere horas adfuerunt.

Nul-

Nulla hodie exanthemata neque durante exacerbatione, neque ea remittente, apparuerunt. Cum igitur in ſeram usque veſperam, immo noctis principium perſeveraſſet febris exacerbatio, ſomnus vero jam a quatriduo, ſaltem placidus, & naturalis abeſſet, & inſequenti luce mitioris tertianæ paroxyſmus eſſet ſperandus, paregorico potius tranquillum efficere ſomnum, quam corticem proſequi, viſum eſt. 27. mane rediit tertiana mitior, & circa meridiem remiſit. Nihil in ea notabile accidit, niſi quod æger hæmorrhagiam narium haud exiguam paſſus ſit, & quod cum ſudore exanthemata eruperint, miliaria alba prorſus æmulantia, his tamen minora, & opaca. Reliquam diei partem corticis uſui impendit ægrotus, unde tertiana gravior quidem rediit, immo quinque horis citius, nullo tamen moleſtiore ſymptomate ſtipata. Cortici dein ultra inſiſtens æger, ab omni febre, & ægritudine vindicatus eſt; & uſum remedii etiam jam ἀπύρετος proſecutus, ab omni quoque recidiva immu-

munis perſtitit; quo forte multum etiam contulit aeris mutatio, cum ille brevi poſt exantlatum hunc morbum in Hungariæ confinia, falcones capiendi cauſa ſeceſſerit, per plures ibi ſeptimanas moratus.

CAPUT XIX.

Tertiana remittens

Cum validiſſimis doloribus Rheumaticis, & multis aliis anomalis, & peculiaribus ſymptomatis. Operarii cujusdam, Baumgartner vocati, in pago Möllersdorf habitantis, uxor triginta aliquot annos nata, a partu admodum laborioſo per plures menſes diris nervorum morbis diverſimode afflicta, inchoante autumno febrem quoque epidemicam contraxit. Ita autem hæc ſe habuit. Alternis diebus prægreſſis oſcitationibus, atque pandiculationibus, quarta a meridie hora vehemens illico exoriebatur dolor, cum validiſſimo artuum ſuperio-

rum, & præcipue lumborum dolore lancinante, cephalalgia intenſa, brachii ſiniſtri immobilitate, & inſenſibilitate, & diris cordis palpitationibus. Circa quartam diei ſequentis matutinam calor, febris, dolor, cordis palpitationes non nihil remiſerunt, motus aliquis, ac ſenſibilitas brachio rediit, donec omnia die tertia graviter rurſus exacerbarentur. Balneator accitus venæ ſectionem in brachio ſiniſtro inſtituit, non tamen cum levamine, ſed morbi potius augmento. Poſteaquam jam una alterave ſeptimana ſic ægrotaſſet, me adivit, opemque petiit. Narravit mihi morbi hiſtoriam, at confuſe adeo, ut nihil certi de vero mali genio concludere potuerim. Juſſi igitur, ut ſollicite ad exacerbationem ſymptomatum, & eorundem remiſſionem animum adverterent, & elapſis diebus aliquot maritus cum urina, poſt paroxyſmum miſſa, me accederet; decoctum altheæ interea potandum præbui, & lumbos, ſpinam dorſi, & artus ſuperiores, pannis calidis fumo juniperino penetratis

ante

ante acceſſum probe fricari, imperavi. Redit ſeptimana elapſa ægrotæ maritus, & morbi hiſtoriam, prout ab initio eam expoſui, recenſet. Sed ſimul refert, dolorem illum validiſſimum Rheumaticum non amplius artus ſuperiores, & lumbos vexare, verum ab ilio ſiniſtro per femur deſcendere. Urina, quam attulit, pallida fuit, tenuis, & ſine omni ſedimento, aut hypoſtaſi. Frictiones igitur in ilio & ſiniſtro præcipue femore juſſi inſtituere, & unciam corticis mediam pulverum forma remiſſionis tempore abſumere. Morbus inde vix imminutus, ſed immutatus eſt: dolor ille rhevmaticus ſcapulam ſiniſtram maxime infeſtavit, unde per brachium integrum decurrit; hinc licet de ſe mobile jam eſſet brachium, doloris jam acerbitate figebatur, & heu nimium reddebatur ſenſile. Priora continuata ſunt. Perſtiterunt febris, dolor ſcapulæ acutiſſimus, cordis palpitationes moleſtiſſimæ; increverunt debilitates, & noctes evaſerunt inſomnes. Præter corticem, opiatum veſperi exhibitum, & Emplaſtrum de Ladano

lenti Scapulæ admotum fuit. Exhinc dolores imminuti, cætera eadem. Quum igitur viderem, a cortice febrim hanc nulla ratione posse sufflaminari, licet binas ejus uncias jam assumsisset ægra, pulverem illum ex Sale Ammoniaco, & alcalinis conflatum tentare lubuit. A quatuor ejus dosibus magna morbi mutatio facta est: calor febrilis non nisi pedes, femora, & medium ventrem occupavit, mitior longe, atque brevior reddita est exacerbatio, minus valide palpitavit cor, & in sinistra scapula nullum amplius dolorem, sed ingratum solummodo formicationis sensum ægra percepit. Iterato hujus remedii usu, febris demum cum cordis palpitationibus maxima ex parte disparuit, & mobilitatem cum sensibilitate recepit brachium. Scabies autem hinc inde in corpore efflorescere cœpit, & gingivæ scorbutica labe affici, hinc antiscorbutica dedi, quorum diligenti usu sanitas omnino restituta est.

CASUS XX.

Tertiana remittens, ſub larva Dyſenteriæ.

Reverendus Dominus de Kolbniz, Parochus Guntramsdorffenſis, quadragenarius circa finem menſis Octobris Diarrhæa aliquamdiu laborare cœpit, quæ neglecta, aſſociatis torminibus, calore, febri, in Dyſenteriam degeneravit. Venæ ſectionem ideo fecit ejus loci balneator, & cum nauſea adeſſet, & inanis vomitus, emeticum propinavit. Nihil inde levatus, meæ ſe curæ commiſit 28. Octobris. Paulo exactius examinata morbi hiſtoria, conjectura aſſecutus ſum, febrim latere, remittentem epidemicam, alterno die a meridie exacerbatam ſine ullius, vel minimi horroris ſenſu, cum calore vehementi, ſiti magna, & hoc ſimul ſymptomate, quod alvus durante acceſſu, quadraginta, plus minus, vicibus copioſa validis cum torminibus, ſed ſine te-

nesmo proflueret. Remissionis intervallo pergebat febris, calor, sitis, & alvus, longe tamen moderatiores. Quæ egerebatur, materia copiosa subflava lympha fuit, pauco glutine mista. Exacerbtio per integrum duravit nychthemerum. Vires igitur multum prostratæ, & appetitus omnino deletus est. Urinam tamen cum videre non potuerim, nec vitæ adhuc imminuerit periculum, corticem nondum ministravi; symptomata solum paregoricis, demulcentibus, & cataplasmate emolliente mitigare, conatus sum, donec novo accessu magis in conjectura firmarer. Rediit ille 30. Octobris, & cursum suum eadem ratione persolvit, nisi quod graviorem adhuc Dysenteriam excitaverit. Hoc jam intellecto, licet urina nullum habuerit sedimentum, mediam corticis unciam mixturæ forma in die remissionis præbui. Paroxysmus inde plurimum imminutus, calor, sitis multo leviores fuere, alvus non nisi bis soluta est sine ullis torminibus, & post octo horarum spatium perfecta adfuit ἀπυρεξία. Corti-

ticis usum ideo prosecutus æger ab omni febre, & Dysenteria vindicatus est. Supererat tantum virium, & primarum viarum debilitas, appetitus exiguus, & ob tantam tenuioris liquidi jacturam molesta oris, & faucium siccitas, quæ vero congruis remediis facile obtemperarunt.

CASUS XXI.

Quartana remittens admodum perniciosa, cum gravi Diarrhœa, vomitu, tussi &c.

Johannes Hamhilger faber ferrarius in vico Minkendorf vir triginta sex annos natus, habitus admodum macilenti, sub Festum Omnium Sanctorum febre decubuit, quam vere continuam fuisse, affirmavit quidem illius loci balneator; sed cum sæpius continuam putridam appellarint, quam præsens adductus, remittentem epidemicam esse cognovi, pro quartana febri remittente fabri hujus ægri-

tudinem illam habui; præcipue quod alterum, in quem haud diu poſt incidit morbum, nunc enarrandum, priori omnino ſimilem fuiſſe balneator aſſeruerit. Evacuata purgantium & emeticorum ope cruditatum fæce, febris fortaſſis fomite, paulo melius ſe habuit. Verum quod in prandio ſuillis carnibus, aliisque difficilioris digeſtionis alimentis ſe infarſiſſet, 17. Novembris veſperi horripilationes, vagos dein calores, ventriculi pondus, anxietates, nauſeasque percepit. Mane ſequenti a balneatore pilulam unicam purgantem aſſumſit, unde non ſolum illa die frequentiſſime purgatus eſt, ſed & altera die, licet rarius, dejicere continuavit, cum magna virium proſtratione, appetitus deletione, ſiti maxima, tuſſi crebra ſicca, calore valido, febri haud exigua. 20. Novembr. veſperi, exiguo præcedente horrore, anxietates validæ redeunt, vomit æger aliquoties bilioſa, dein alvum ponit ſæpiſſime, frequentius tuſſit, paucis omnia graviter exacerbantur. Me ergo accivit

ſe-

ſequenti luce. Pulſus erat celer, debilis, reſpiratio anxia, celeris; vires adeo dejectæ, ut vix corpus ſolus vertere poſſet, tuſſis ſicca crebra; Diarrhæa gravis illi ſimilis, quam hepaticam olim vocarunt; tempora collapſa; lurida facies; vultus mœſtus; ſudor profuſus, fere aſſiduus; primas autem vias quaſi exulceratas & ſumme dolentes eſſe, conquerebatur æger. Morbi hiſtoriam expiſcatus, & hæc coram ſpectans, merito ſuſpicari cœpi, quartanam remittentem ſub hac Diarrhæa, & morbo delitescere, draſtica illa pilula forte magis in colliquativam quaſi evacuationem irritatam. Cum vero urinam non ſervaſſent ægri cuſtodes, obſcura ſatis adhucdum eſſet morbi indoles, & pernicioſam ejuſmodi quartanam vix ſemel iterumque, durante hac Epidemia, obſervaſſem, corticem nondum dedi; verum ad atrocia cohibenda ſymptomata, emollientia, humectantia, oleoſa, paregorica in- & externe adminiſtravi interim, donec futura exacerbatio, & urinæ fortaſſe

ſignum dubium omne eriperent. Satis pacata inde facta ſunt omnia per biduum; alvus rarior, ſitis, tuſſis leniores, & exulceratorum quaſi inteſtinorum dolorificus ille ſenſus diſparuit. 24. Novembr. graviſſima rediit exacerbatio. Urina ſedimen poſuit lateritium. Cum igitur vires penitus attritæ, morbo diutius ferendo pares amplius minime viderentur, habitus corporis adeo eſſet collapſus, ut vix pellis hæreret oſſibus, febris indoles evidenter conſtaret, corticem, ope Syrupi Diacodii, in Electuarium redactum, præter emollientia, humectantia, & analeptica remedia diebus intercalaribus ſumendum præbui. Aſt cum corticem nullo modo, forma nulla admitteret ægrotus, reduce acceſſu in ſummum vitæ periculum conjectus eſt. Opitulante tamen cura palliativa, omni ratione adhibita, e procella emergens, multo demum perſuaſu, & dulciſſimæ ſpe vitæ incitatus, ſex corticis Drachmas aſſumſit. Longe mitior rediit paroxyſmus; vomitus enim nullus, alvus ſolum bi-

bina, calor, tuſſis, ſitis, inquietudo, ſudor, moderati fuerunt. Repetito corticis uſu naturalis alvus facta; febris modica remanſit cum tuſſi moleſta, debilitate ingenti, & ſumma corporis macie. Lacte tamen, & paratis inde eduliis, decoctis humectantibus, nutrientibus, linctibus oleoſis, demulcentibus, & protracto cortice paucis ſeptimanis æger mirum emendatus eſt.

CASUS XXII.

Quotidiana remittens cum enormi Diarrhæa.

Lanio in pago Lanzendorff, Kirſchinger nomine, triginta aliquot annorum vir, a gravi in Diæta delicto, Menſe Decembri febre erratica prehenditur cum valida præcordiorum oppreſſione, appetitus imminutione, & ciborum aſſumtorum cita rejectione. Vomitorium ideo a monacho quodam ſumit, unde vigeſies quater

ve-

vehementer vomuit, & totidem minimum vicibus violenter purgatus eſt. Morbus inde non levior, ſed gravior evaſit; febris, multum decreſcentibus viribus, multum increvit. Alia ab eodem monacho aſſumſit remedia, & melius ſe habuit; ſed rurſus ab illo purgatus cholera æque gravi, ac prima vice affectus eſt. Ceſſavit quidem die altera vomitus, verum copioſus alvi fluor perrexit. Opem meam tunc implorat; narrat ſe viribus plane exhauriri ex Diarrhæa, & exulcerata quaſi, adeoque dolentia eſſe inteſtina, ut ne minimum quidem attactum in univerſo ab, domine, præcipue vero circa præcordia tumida, oppreſſa, perferret. Pulſus erat febrilis admodum, & debilis. Emollientiſſima, paregorica intus, extusque adhibui interea, donec conſpecta urina, & ſedula attentione, verus morbi genius magis pateſceret. Urina ſedimen poſuit lateritum, & febris quotidiana remittens eſſe apparuit, ſed nunc anticipando, modo poſtponendo, irregulariter, cum calore valido, ſiti ardente, & maxime oppreſ-

oppreſſionum, ac Diarrhææ notabili augmento exacerbata. Paregoricis, & emollientibus alvus quidem paulo eſt cohibita, ſed anxietates, & dolorifica præcordiorum inflatio longe magis increverunt. Dedi igitur, patente jam morbo corticem Rheo junctum. Diarrhæa inde vehementior rurſum evaſit, non niſi difficillime opiatis mitiganda. Cortice vel cum opio, vel ſolo etiam exhibito, alvi fluor minutus eſt, ſed immaniter auctæ ſunt anxietates. Itaque nil aliud ſupererat, niſi corticem ſolum propinare, & alvum inde cohibitam enematibus reſerare. Multam demum, licet neceſſariam hanc medelam pertœſus æger, corticem omnino reſpuit, inflationes ſibi, & anxietates potius augeri conqueſtus. Hinc febris cum Diarrhæa eum adeo attriverunt, ut anguſta ſpes ſalutis relinqueretur. Præſcripſi tunc extractum Corticis cum aqua, & ſyrupo citri, in remiſſione ſumendum, bis vero de die opiatum. Difficulter vel hæc admiſit moroſus æger, at egregio cum effectu; febris quip-

quippe plurimum ſufflaminata eſt, & Diarrhæa cum euphoria cohibita. Verum dum ille, proſpero ſucceſſu lætus, ultra menſuram cereviſiæ frigidæ aliquando ingereret, febris rediit atrocior; frigus validum, cujus antea nullum unquam ſenſum perceperat, extremitates inferiores ad ſuras usque, ſuperiores carpotenus occupavit, reliqua artuum amborum parte, toto cum corpore blande, & æquabiliter calente; anxietates ſimul intolerabiles per bihorium vexarunt; calor dein vehemens exorſus, cum mentis aberratione, ſiti intenſa per mediam diei partem perſeveravit; alvus interim copioſa, frequens profluxit, & remittente quamvis febre, haud multo rarior continuavit. Corticis extractum, cum opiatis iterum, iterumque repetitum, ſeptimanarum binarum ſpatio id effecit, ut febris cum Diarrhæa, & anxietatibus maxima ex parte evaneſcerent. Maluiſſem, ut ulterius his remediis inſiſteret ægrotans; cum autem ille nulla ratione ad id permoveri poſſet, Diætam ſaltem convenientem obſer-

va-

vare & opiatis cum roborantibus, & adſtringentibus aliquamdiu adhuc uti, perſuaſi. Atque hac ratione demum in gratiam ſenſim cum ſanitate ille rediit, poſteaquam, durante hoc morbo, qu ſeptem ſeptimanarum intervallum comprehendit, ultra quinquageſies vomuiſſet, & alvum, minimum ſexcenteſies poſuiſſet.

CASUS XXIII.

Tertiana remittens duplicata, cum graviſſima Cardialgia.

Joſephus Reinhart, ſaponarius in oppido Mödling, viginti quatuor annorum juvenis, a primo Anni præſentis die anxia, & ad attactum dolentia ſenſit præcordia, cum appetitus imminutione. Cæterum utcunque valuit. 10. Januarii quarta diei matutina ſine ullo prævio, aut ſubſequente horrore, oſcitans tantum aliquoties, anxietates, & dolorem circa cardiam longe vividiorem percipit; ſurgit tamen,

men, & laborem adit. Verum cardialgia cum ſenſu moleſtiſſimo, quaſi lapidis fortiſſime intro prementis, & doloris acutiſſimi per medium ventrem ad ſpinam dorſi ſe extendentis, ſucceſſive adeo increvit, ut circa horam meridiei decimam, exanimis in pavimentum collaberetur. In lectum delatus, & cardiacis refectus, per multas adhuc horas cardialgia hac ſæviſſima, reſpirationem ſæpius cum animi deliquio penitus intercipiente, & calore valido magna cum ſiti dein ſubſequente, vexatus eſt. Sudore demum erumpente, ſenſim omnia remiſerunt. Duravit hæc remiſſio (gravis tamen aſſiduo adfuit oppreſſio, & cardiæ morſus) ad ſextam diei ſequentis matutinam, ubi denuo febris cum anxietatibus, & cardialgia exacerbata eſt, haud ita tamen, ut induceret Syncopem. Hora quarta diei tertiæ exacerbatio æque gravis reverſa eſt, ac morbi prima. Accitus ego a meridie inveni ægrum remiſſioni jam proximum, haud leviter tamen febricitantem, anxium, dolentem, facie

ſqual-

ſquallidum, debilem; & ſudore madeſcentem. Morbi hiſtoria, prout eam expoſui, percepta; febrem detexi epidemicam, more tertianæ duplicatæ, in graviſſimæ cardialgiæ conſortio incedentem. Præter cataplaſma emollientiſſimum anodynum, epigaſtrio admovendum, corticis unciam, Electuarii forma præſcripſi, cujus partem mediam, illa adhuc veſpera abſumeret. Nulla inde febris, aut cardialgiæ, ſequenti mane facta eſt exacerbatio; hinc in uſu remedii non impeditus æger, ἀπύρετος evaſit. Levis oppreſſio atque dolor ſupererant, quæ Emplaſtro de Ladano epigaſtrio applicito, & ulteriore corticis uſu, brevi tempore penitus evanuerunt.

CASUS XXIV.

Tertiana remittens, duplicata, cum Delirio feroci, pertinaciſſimo.

Molitor in Pago Winnersdorf, Seiz appellatus, vir quinqua-

genarius, Temperamenti ſicci, atrabilarii, morbis acutis ſæpius afflictus, & tuſſibus, præſertim hyemali tempore, plurimum obnoxius, 25. Januar. Anni præſentis, frigori diu expoſitus, horripilatione veſperi corripitur, deinde febri magna, cum calore valido, tuſſi frequenti, appetitus, virumque dejectione notabili. 26. Jan. veſperi ſine ullo præcedente horrore, longe impenſius febricitat, incaleſcit, ſitit, tuſſit. Balneator venam ſecat. Sanguis cruſtam denſam phlogiſticam induit. Paulo melius ſe habuit die altera ad veſpera uſque, ubi omnia denuo exacerbata ſunt, minus tamen, ac pridie. 28. Jan. Sole occiduo immanis fuit acceſſus, cum calore enormi, inquietudine aſſidua, delirio, pectoris anxietate, & tuſſi moleſtiſſima. Rurſum igitur ſanguinem eduxit mane ſequenti balneator, haud minus inflammatorium. Paulo poſtea ipſemet vocatus bcceſſi. Reperi ægrum multum fearicitantem, delirantem, nihil ſudandantem, impenſe ſitientem cum lin-

gua

gua alba, ſicca, tremula. In prægreſſam inquiro morbi hiſtoriam; ſed ægrotus delirus, cum continuo garriens nunc hæc, modo illa narraret; conſternata uxor vacillaret, balneator, cum non niſi bis adfuerit, ubi venam ſecuit, nihil ſolidi noviſſet, urina aſſervata non eſſet, determinare non potui, num vere acuta hæc febris eſſet, an remittens epidemica. Moras igitur vel invitus trahere debui, & ſymptomata tantum, magis urgentia, interim compeſcere. Decoctum hordei cum oxymelle ſimplici, & nitro pro potu dedi; decoctum pectorale, & mixturam (quod ſtrepitum in pulmonibus, tuſſiente ægro, perciperem) expectorantem præſcripſi; epiſpaſtica denique plantis pedum apponi juſſi. Die altera mente conſtabat æger, minus & febricitabat, & tuſſiebat, ſputa craſſa, cocta copioſa facile rejiciebat, & ſani inſtar reſpirabat. Urina autem ſedimen habuit lateritium. In priorem morbi hiſtoriam denuo inquirens ita eam expiſcari jam potui, prout antea recenſui.

ſui. Suſpicio igitur omnino fundata in remittentem febrim incidit; periodos tertianæ duplicatæ obſervantem; ſed quod belle adeo ſe haberet, paroxyſmus heſternus vix notabilis fuiſſet, & exacerbatio futura paucis horis abeſſet, in majorem Diagnoſis certitudinem exſpectare eam libuit. Non enim gravem adeo, & periculoſam illam redituram ſuſpicabar, uti revera exſtitit. Quippe paulo magis acuta cum calore febri, valide delirare cœpit ægrotus, de lecto, incaſſum prohibente uxore, ſurrexit, & quin foras egreſſus ſit, vix prohiberi potuit a concurrentibus domeſticis. Novit quidem omnes, ſed, quod exitum interciperent, colaphis, ac verberibus percuſſit, itaque in iram exarſit, ut animo deficiens corrueret. Viribus denuo reſumtis, ferociebat, vociferabat, verberabat &c. atque ita non ſolum nox integra transacta eſt, ſed & ſequenti die in eodem ſtatu illum inveni. Facies, & totus habitus omnino erat phreneticus. Pulſus cum nec durus eſſet, nec plenus,
ſed

ſed celer, & debilis potius, & brevi ſperanda, febris remiſſio, ſanguinem non amplius detraxi; lecto autem contineri, & acria ſuris epispaſtica apponi juſſi. Præſcripſi inſuper Syrupi Diacodii Uncias tres, cujus pars tertia illico ingereretur, altera, ſi delirium non ceſſaret, veſperi; reliqua interim ſervaretur; extractum vero corticis ad unciam mediam in aqua citri dilutum, & eodem ſyrupo edulcoratum, remittente delirio exhiberetur. Verum tota die perrexit delirium, & quamvis altera Syrupi Diacodii uncia veſperi ex præſcripto data fuerit, integra denuo nocte perduravit, immo ſuperveniente acceſſione, mitioris licet tertianæ, magis adhuc adauctum. Prima demum Februarii, poſteaquam uxor reliquam Diacodii partem ingeſſerat, oculis connivere cœpit æger, dein placide obdormivit per bihorium, ſicut & dormientem reperi. Aſt me adhuc præſente, ſponte evigilavit, pauca quædam apte repoſuit, mox iterum deliravit, ut vix in lecto coerceri potue-

rit. Cum ejusdem diei vespera gravioris tertianæ immineret exacerbatio & metuendum omnino esset, ne phreneticus in illa periret, jussi, ut de corticis extracti mixtura, quæ hucusque ne delibari quidem potuit ab ægro, eam nulla ratione admittente, omni hora quatuor cochlearia porrigerentur, cujus primam dosin ipse ego minis variis, & multo hortatu ægroto ingessi. Unciam dein unam Syrupi Diacodii cum viginti guttis Laud. Liq. Sydenh. præscripsi, quæ illico exhiberetur, etsi somnus inde sequeretur, æger ad quamlibet corticis dosin sedulo excitetur. Sumto hoc hypnotico vix amplius deliravit æger, nec vero obdormiit, sed quietus ita evasit, ut tota fere corticis mixtura ante vesperam absumi potuerit. Egregium inde effectum obtinui; exacerbatio enim vix manifesta fuit, saltem quoad priora symptomata; mitius incaluit, sitivit; tussivit quidem crebro, at facile sputa copiosa eduxit; parum deliravit, neque amplius ferociter, & a nocte media per plures ho-

horas, ſomno tranquillo refectus eſt. 2. Februar. deprehendi eum leviter febricitantem, non nihil ſudantem, vix delirantem, ſed viribus enormiter exhauſtum. Corticis igitur uſui, ſed majoribus intervallis inſiſtere juſſi; veſperi opiatum, carnium jura ſæpius, & pro potu ſerum lactis vinoſum data ſunt. Somnus inde noctu fuit placidus, mens ſerena, & ſemper conſtans; exacerbatio nulla rediit, & paucis diebus æger eousque convaluit, ut non niſi de tuſſi, virium debilitate, ſenſuum, ac memoriæ imbecillitate conquereretur, quæ mala decoctis pectoralibus, & Diætæ analepticæ facile poſtea paruerunt.

Finem ita ſecundo huic Capiti impono, ne ulteriori ſimiliter plane ægrotantium recenſione tœdium pariam. Attamen coronidis ergo, bina adducere viſum eſt ſpecimina febrium vere continentium, & acutarum, quæ, ut in fine primi capitis monui, in ſui principio more febrium epidemicarum regulariter exacerbatæ, ac

remittentes, haud raro mihi anno præterito, prima, ut ajunt, fronte imposuerunt.

Æger Primus.

Fibularius in oppido Mödling Leidelmar nuncupatus, vir quadraginta circiter annorum, ſiccæ, ſtrictæque Temperiei, medio Auguſto Anni 1760 Diarrhæa, vomitu, tuſſi cum febre laborabat, viribus præter rationem multum exhauſtus. Exacerbabatur autem, & remittebat febris cum enarratis ſymptomatis, modo irregulari, ac plane erratico. Palliativam igitur curam miniſtravi interim, donec febris typus magis conſtaret. Elapſis diebus aliquot, regularis tertianæ remittentis, pernicioſe admodum periodus apparuit, quod paroxyſmi tempore Diarrhæa valide ingraveſceret murmurans deliraret æger, cum linguæ, & artuum tremore inſolito, loquelæ difficultate, animo ſubinde deficiens, nullum unquam horro-

rorem, ſed vehementem aſſiduo ardorem expertus. Media corticis uncia exacerbationem ſolitam inhibuit. Verum die alias libero, licet nec febre, neque memoratis ſupra ſymptomatis prorſus immuni, tremorem primo quaſi internum, viſcera abdominis moleſte concutientem aliquamdiu ſenſit, in animi deliquium dein lapſus; inde quidem ad ſe rediit, ſed ſumme debilis, mentis inops, & dum loqueretur, inepte balbutiens, cum frigido in facie ſudore, vacillante pulſu; ſicque per horam, & ultra toto corpore haud leviter riguit. Vehementer ſenſim incaleſcens, ſopore per plures horas merſus eſt, non tamen continuo, nec tranquillo, nam incubo ſtrangulatus, pluries cum terrore evigilavit. Corticis ex uſu omnis exacerbatio ceſſavit, non item febris, aut quæ eam comitabantur graviſſima ſymptomata. Febricitabat quippe aſſiduo, neque leviter, viribus exhauſtus, nonnunquam delirans, ſubinde ſoporoſus, animo interdum deficiens, alvo ſæpius dejici-

 ens.

ens. Urina non amplius ſedimen poſuit lateritum, ſed tenuis jam, & aquoſa facta eſt. Magna doſi, & ſedulo exhibitus cortex nec minimum mutavit morbum. Itaque cum pulſus ſumme debilis, & inæqualis micaret, extrema jam frigeſcerent, reſpiratio celeris, ſublimis fieret, paucis, maximis in anguſtiis verſaretur æger, ne quidem, quæ rogarem intelligens, cortice deſtiti, & larga veſicantia ſuris admovi, interne camphorata, aliaque egregie ſtimulantia, haud parca manu exhibui, a quibus vis naturæ excitata de periculoſo adeo morbo denique triumphavit, non tamen unico, eoque decretorio certamine victrix, ſed iteratis aggreſſibus morbo attrito, & per ſudoris, & urinæ vias morboſa materia expulſa. Reconvaleſcens æger pedibus intumuit. Attamen frictionum, quæ cum fumis aromaticis inſtituebantur, & roborantium internorum ope, ſanitati integræ reſtitutus eſt. Illud quoque hic omiſiſſe nolim, virum hunc, qui in deaurandis ſuis operibus, argenti vi-

vi

vi vaporibus adeo fuit impraegnatus, ut, praeter alia incommoda, tremore valido praecipue artuum, jam sanus antea fuerit vexatus, durante hoc morbo, binos vermes, de lumbricorum teretium familia, alvo excrevisse, quorum unus tres quartas nostratis ulnae partes exsuperavit.

Ægrotus alter.

Venantius Weinanz Ardearum Custos, vir quadragenarius, siccus, biliosus, intermittentibus crebro, ac diu vexatus, 21. Novembris Anni prioris, leviter febricitans dolores circa cervicem, & lumbos, quasi rheumaticos sensit, qui frequenti pedum balneo, & sambuceatis internis, atque frictionibus plurimum evanuerunt; sed hunc levioris cujusdam periodicae febris paroxysmi apparuerunt, quam duplicatam tertianam fuisse, morbi decursus docuit. Corticem idcirco praebui, addito Rheo, & Sale polycresto, quod a solo

lo cortice alvum ei pertinaciter intercipi , jam dudum mihi conſtaret. Quia vero negligens primo eſſet ægrotus in ſumendo remedio, dein corticem quacunque forma datum plane reſpueret, exacerbationes non ſolum multum anticipando, & diu immorando exiguum reddidere remiſſionis intervallum, ſed & gravibus ſibi aſſociatis ſymptomatis periculoſæ evaſerunt. Etenim ægrotans, validis, horroris loco, prægreſſis anxietatibus, per plures horas impenſe febricitavit,exarſit,continuo ſe jactitavit, & phrenetici inſtar deliravit : obdormivit dein, cum terrore ſæpius evigilans, cum manifeſto ſubſultu tendinum, & levioribus oculorum, & oris labiorum convulſionibus. Cum pulſus celer, contractus, nec tamen magnus, aut plenus eſſet, & non niſi febrem remittentem epidemicam ſubeſſe, firmiter perſuaſus eſſem, venam non ſecui, ſed epiſpaſtica acria plantis pedum ſuppoſui, & emulſa refrigerantia nitroſa anodyna (quæ ſola admiſit æger) copioſe exhibui. Verum

rum paroxyſmi nihil inde mitigati ſunt. Corticis igitur extracti unciam mediam mixturæ forma præſcripſi, quam multo demum perſuaſu ille abſumſit. Exinde periodicæ exerbationes, tremores, & ſubſultus tendinum cum ſpaſmis faciei quidem ceſſarunt, febris tamen nihil levior continuavit, cum reſpiratione magna, difficili, lingua rigida, ſiti vehementi, facie vultuoſa, phrenitica, ſiccitate, & rigiditate cutis. Miliaria quoque alba circa collum ſubpullulare ceperunt, & urina quæ ſedimen antea ſemper habuit lateritium, nunc tenuis, & prærubra fuit, cum hypoſtaſi globoſa, aut ſuſpenſa in medio nubecula. In hoc rerum ſtatu, & ægro moroſo omnia ultra remedia renuente, rogante uxore, quinta Decembris, die morbi totius decima quinta, & ex quo periodica ſublata fuit exacerbatio, ſecundo in conſilium vocavi Virum clariſſimum D. Pök. Itaque cum febris jam vere continua, & vel maxime cruda exiſteret, diluentia, humectantia, antiphlogiſtica propinare, conclu-

clusimus. Transpiratio inde laudabilis prodiit, mollior, & humida in lateribus lingua reddita; urinæ modo tenues fuerunt, & prærubræ, modo crassiorem formarunt subfuscam hypostasin. 10. Decembr. morbi totius vigesimo, febris vere, & solum continuæ septimo, miliaria alba, interspersis hinc inde rubris præcipue in dorso, copiosissime toto corpore emerserunt, racematim variis in locis, variolarum instar cohærentia, & majores tunc vesiculas formantia. In artubus vero inferioribus nonnullæ purpurei coloris petechiæ apparuerunt. Urina russa fuit sine ulla hypostasi, aut nubecula; pulsus celer, suppressus, anxia respiratio, alvus liquida, multum fœtens. Proposui vesicantia, sed hæc non admisit æger. Continuavi igitur priora, additis levioribus stimulantibus, diaphoreticis; spiritum sulphuris per campanam decocto tenui antifebrili instillavi, & vesperi Syrupi Diacodii unciam præbui. 11. Decembr. a somno placido pulsus minus suppressus, re-

spi-

ſpiratio facilior; perſtitere miliaria, petechiæ pallidiores factæ, alvus bis poſita, pultacea, ſed admodum fœtida; cruſta linguæ media hiſcere cœpit, humidis apparentibus interſtitiis; urina ſedimentum poſuit ſubfuſcum. Eadem & ſequenti die continuarunt futuræ criſeos indicia. 13. Decembr. licet tranquille æger noctu dormierit, manum tamen tum dormiens, tum vigil involuntarie ſæpius retraxit, cæteris omnibus craſtino die bonam criſin præſagientibus; oculi ſimul validæ inflammatæ tam in adnata palpebrarum, quam albuginea bulbi multum doluerunt. Collyrium ideo ex aqua roſarum, & floribus paravi, quod etiam opem attulit. 14. Decembr. morbi totius vigeſimo quarto, febris vere, ac ſolum continuæ undecimo criſis bona, ſed imperfecta contigit per urinas copioſas, ſedimine rubello oneratas. Alvus ſemel prodiit fere liquida, immaniter fœtens, cum ægri tamen levamine. Pulſus inde melior, minus celer, cum mollitie fortis; reſpiratio optima. Ophtalmia di-

diſparuit; evanuerunt petechiæ; opacata ſunt miliaria; ſitis pauca fuit, & appetitus, hucusque penitus proſtratus, rediit aliquis. Eadem iterata ſunt remedia, niſi quod Syrupum Diacodii, & ſpiritum ſulphuris detraxerim. 17. Decembr. prægeſſis pridie involuntariis illis manuum retractionibus, criſis denuo facta per ſudores, & urinas. Alvus liquida, fœtida cum euphoria aliquoties prodiit. Nec adhucdum omnis febris receſſit, ſed haud exigua aliquamdiu perrexit, donec urinis craſſam albam hypoſtaſin ponentibus, & fœtente illa, ac liquida alvo, circa diem morbi totius quadrageſimum, ſenſim fuerit diſſipata. Pedibus dein multum intumuit æger, & ſcorbutica acrimonia, ob cubiculi ſummam humiditatem, huic familiæ fere endemia, forte & ex immani acidi, præcipue citri, durante hoc morbo aſſumti copiam, quod cum alcaleſcentibus humoribus muriaticam quaſi acrimoniam conſtituit, producta laboravit, teſtante id virium debilitate, a ſomno

lon-

longo majore, laxis, tumidis, ſanguinem facile fundentibus gingivis, & ſalſo ægri ſapore: A quibus malis diuturno uſu frictionum cum fumis aromaticis, conſervarum anti ſcorbuticarum, & vini medicati roborantis, ſimiliter anti ſcorbutici demum penitus vindicatus eſt.

CAPUT III.

Corollaria quædam ex Epidemica harum febrium conſtitutione deducta.

Ex enarrata ſic, & notabilioribus nonnullis caſibus illuſtrata epidemicæ harum febrium conſtitutionis hiſtoria conſtat.

1mo. Triplex intermittentium ad fuiſſe genus: regularium nempe, & vel maxime benignarum, ſive genium earum ſpectemus, ſive curationem; dein remittentium, & anomalarum, de intermittentium tamen proſapia, gravium ſane, ac pertinacium, ſi ſymptomatum magnitudinem, habi-

tus ἀνομαλίαν, & difficilem earum omnimodam exterminationem intueamur; graviſſimarum denique & vere malignarum ſimiliter remittentium, ſive ſymptomatum, quibus ſtipabantur, ſævitiem, ſive periculi, in quod plurimorum vitam conjiciebant, magnitudinem, ſive tectum, ſub quo deliteſcebant, habitum conſideremus.

2do. Tertianas intermittentium ſive ſporadicæ incedant, ſeu populares graſſentur, plerumque & mitiſſimas eſſe, & periculoſiſſimas. Prima hujus aſſertionis pars nulla eget demonſtratione, utpote innumero omnis ætatis teſtimonio, & quotidiana locorum omnium experientia abunde firmata. Alteram vero partem plurimorum, eorumque clariſſimorum Medicorum, & meæ, tenues quamquam obſervationes, dubio prorſus omni eripiunt. Ut ex centenis Autoribus aliquos tantum attingam, Clar. Cohauſen in Notis ad Burneti Theſaurum Med. pract. ex Puerario, ſtatum epidemium tertianum notat, in quo non pauci ex adjuncta affectione ſo-

po-

porosa perierunt. Tertianam cum lethargo Pechlinus refert L. 2. Obs. 20. Hercules Saxonia juvenem a cardialgia, in tertiana paroxysmo in syncopen desinente, perimi vidit. Hallerius libro proprio Observ. 25. „ Brito, inquit, quidam nobilis, cor„ reptus febre tertiana, in prima ac„ cessione summa virium imbecillitate „ laboravit, ut videretur mori. Ter„ tio die in secunda accessione eodem „ modo se habuit, somnolentus in „ utraque, ut vix somno posset pro„ hiberi. Aliis accessionibus vigil, „ neque ad somnum verti potuit. Sex„ ta mortuus. „ Adhibita etiam ab initio fuerant, quæ vim vitalem sustinerent. Ludovicus Mercatus atro carbone notat Tertianas, sic enim ait L. 6. de febribus: „ In eo febrium „ genere, quod febres complectitur, „ tertio die exacerbationem efficien„ tes, perniciosa hæc, neque satis „ vulgata, aut cognita tertianæ spe„ cies, non sine magno laborantium „ exitio, & Medicorum admiratione „ reperitur. Quæ sane, ut rarius ac-

 „ cidit,

„ cidit, ita difficilius noſcitur, gra-
„ viusque ob id invadit, & ob igno-
„ rationem majorem infert terrorem,
„ & admirationem, & quod perni-
„ cioſius eſt, negligentius curatur. „
Et paulo poſt: „ Eſt itaque tertiana
„ pernicioſa, febris quædam, quæ
„ ſimulata tertiani circuitus effigie,
„ letalis, & mille accidentibns per-
„ nicioſiſſimis implicata exiſtit. „
Tertianarum malignarum, ac multoties exitioſarum Epidemiæ fuerunt, quas Ramazzini, Sylvius, Lanciſius, Schrökius, aliique plures deſcripſerunt. „ Ex tertianarum genere (in-
„ quit, eruditiſſimus Werlhof in Ob-
„ ſerv. ſuis de febribus) fuerunt om-
„ nes, in quibus id quidem, de quo
„ agimus febrium ſymptoma obſerva-
„ vimus, vel obſervatum comperi-
„ mus; „ ſoporoſum nempe affectum, apoplexiæ congenerem, & non raro letalem. " Febres intermittentes ma-
„ lignas frequentiſſimas, ſed tertianas
„ obſervavi, ait Neucranz de pur-
„ pura Cap. 25. pag. 413. Ut plu-
„ rimum ex intermittentibus non

„ alias,

„ alias, quam tertianas triplices, ſive „ duplices obſervare malignas licet, „ verba ſunt H. Meibom. de febre „ maligna §vo 14. „ Gohlius demum caſum refert, tertianæ in funeſtam apoplexiam ſubito deſinentis.

3^tio. Tertianas ejusmodi pernicioſas, & præcipue epidemicas, rarius in veram ἀπυρεξίαν, ſed in remiſſionem ſolummodo ut plurimum deſinere. Veritas hujus corollarii ex ſequenti eluceſcet.

4to. Inique ideo a diverſis Autoribus increpari Hippocratem, quod tertianam, dummodo intermittat, periculi expertem eſſe, afferat. Sic autem ſe habet, qui eos offendit textus: Aphorism. S. 4. N. 43. Febres, quæcunque, non intermittentes μηδιαλείποντες (hoc eſt συνεχέες) quæ tertia die vehementiores fiunt, magis periculoſæ: quocunque autem modo intermittant, quod ſine periculo ſint, ſignificat. Similia fere habet in diverſis locis Coacar.

Nam primo ad hanc noſtram, quod attinet, febrium epidemiam, omnino

 aſſe-

aſſeverare queo, me verba modo citata Parentis Coi deprehendiſſe veriſſima. Quippe tertianæ ſimplices duplicesve, ubi vitæ minabantur periculum, nunquam veram reliquerunt ἀπυρεξίαν, ſed pergente aſſiduo haud exigua febri, & functionum quarundam notabili læſione, ſive dolor illa fuerit, in hoc febrium genere inſolitus, ſive ſopor, ſtupor, evacuatio, delirium &c. tantummodo remiſerunt; quæ autem illarum, vere licet exiguo tempore intermittebant, vix notabili remanente functionum læſione, nunquam ægri vitam in diſcrimen adduxerunt. Dein ſub febris nomine, non ſola pulſus celeritas, ſed integer plane morbus comprehenditur, adeoque & gravia illa, ac periculoſa ſymptomata, quæ tertianas ejusmodi comitantur, aut periodice redeuntia, febri vix manifeſta, aut plane nulla exiſtente, morbum ipſum, hinc & febrim quaſi larvatam conſtituunt, non niſi eadem illa, qua ipſa hæc, ratione & remedio tollenda. Itaque dum dolor lateris, aut capitis acutus,

vo-

vomitus, Diarrhæa, coma, carus apoplexia, tertianarum paroxyſmis ſuperveniunt, vel ſine manifeſtis febris ſignis, tertianarum more, periodice accedunt nec tempore ab exacerbatione libero penitus evaneſcunt, ſed multo licet mitiores redditi, cum notabili tamen functionum quarundam læſione perſeverant, donec ſtata hora denuo gravius exacerbentur, nequaquam πύρετοι διαλίποντες ἀκύνδινοι, ſed συνεχέες ἐπικύνδινοι, omnino cenſendi ſunt. Atque hac ratione ſalva autoritate, & veritate Hippocratis, facile explicare & intelligere poſſumus, ac debemus tertianas perniciosas, immo & letales, ab Autoribus obſervatas. Sic immerito carpit Hippocratem Mercatus, dum loco cit. ita exclamat: „Quis enim credet „usquam, tertianam febrem poſſe letalem fieri, eo maxime, cum ab „Hippocrate dictum ſit: Quocunque „modo intermiſerint, periculum ab„eſſe ſignificat, & mille aliis in locis „tertianam breviſſimam, ſecuriſſi„mamque eſſe." Nam ipſe Merca-

 tus

tus paulo inferius pulchre monet: „ Sed præcipue tertianam pernicio„ sam esse ostendunt hæc signa, & „ alia, quæ tertianis sunt communia, „ cum ab eis nondum ex toto in die „ quietis liber evadit ægrotans: sic „ etenim malum portendit delirium, „ aut somnus, qui usque in diem „ quietis protrahuntur: item eadem „ die languidos, inquietos, anxios, „ superesse laborantes, aut alio quo„ vis accidenti oppressos, quantum„ vis febris vel levissima, vel nulla „ appareat.

Verum qui tueri licebit Hippocratem, si in tertiana non solum febris quietis die vere intermittat, sed & ipsum grave, ac periculosum symptoma, febris sive comes, sive larva, penitus evanescat, sine ulla notabili functionum læsione residua, & tamen periculosa observetur illa, aut plane letalis, cujusmodi exempla suo loco capite sequenti referam?

Ad hæc respondeo 1mo. Rariores hos esse casus, & cum nulla universalis adeo regula in Medicina existat,

quæ

quæ omni perpetuo exceptione careat, vel ut cum Celſo loquar, vix ulla perpetua præcepta ars medicinalis recipiat, illud quoque generale Hippocratis de tertianis aſſertum paucis quibusdam naturæ portentis minime convelli, præcipue cum nihil adeo ſolemne ſit, quam luxuriantis naturæ luſus. 2do. Medicinæ Parentem neutiquam ea, quæ temporibus poſt eum vel unquam ſecuritatis futura eſſent, divinare voluiſſe, ſed, quæ ipſe ſua ætate obſervavit, aut obſervata comperit, admiranda ſedulitate, ac brevitate congeſta, poſteritati reliquiſſe; quæ tamen, pauca ſi demas, omnia, tot etiam retrolapſis ſæculis, veriſſima etiamnum experimur. 3^tio. Objectionem iſtam ne quidem tangere aſſertionem Hippocratis, ſi eam cum Doctiſſimo Werlhofio hunc in modum interpretemur: „ Quando tertianæ
„ continuæ in intermittentes mutan-
„ tur, quocunque modo id fiat, etiam-
„ ſi breviſſima, & vix obſervabilis
„ intermiſſio ſit, & vel quotidie, vel
 „ al-

„ alternis diebus notetur, egregium
„ eſt ſuperati periculi indicium.

5$^{to.}$ Ex malignis ejusmodi, ac popularibus præſertim tertianis, totidem, immo plures quandoque eſſe duplicatas, quam ſimplices. Conſpirant plurimorum, quos ſupra citavi Autorum obſervationes. Ita Ludovicus Mercatus loc. cit. „ Tertianæ
„ tamen vocabulo (inquit) & ſim-
„ plicem, & duplicem ſubaudiendam
„ eſſe diximus, cum utramque per-
„ niciofam eſſe, haud raro mihi, &
„ multis compertum ſit. Cæteros ut tranſeam, Magnif. Sacrarum Majeſtatum Archiater Antonius Störk in erudito ſuo Anno Medico Part. 2. pag. 163. ita ſcribit· „ Febres autem
„ tertianæ duplicatæ frequentiſſime
„ occurrerunt, & eorum paroxyſmi
„ adeo fuerunt protracti, ut inde fe-
„ bris continua remittens fere ſemper
„ fuerit orta.

6$^{to.}$ Tertianas ita duplicatas, ut paroxyſmorum ſuorum longitudine, remiſſionem ſolum, & hanc ſæpe exiguam efficiant, unam eſſe, ac frequen-

quentiſſimam quidem Hemitritæarum ſpeciem, quarum malignum plerumque morem experti, atque teſtati ſunt Spigelius, Reſtaurantus, Apinus, Helvoetius, Mortonus, Tortus, Lancifius, aliique.

7$^{mo.}$ Non tamen ſolas malignitatis infamia notari Tertianas, ſimplices illæ ſint, vel duplices, ſed & quotidianas ſubinde, quandoque etiam epidemias; nonnunquam etiam quartanas, licet perquam raræ hæ ſint, atque ut tales pernicioſæ, vix unquam populares obſerventur. Suo jam tempore expertus eſt Galenus, earum quotidianæ maxime proprium eſſe quale exemplum etiam Mocha adducit, & Dolæus. Lomius L. 1. C. 18. monet; „ quotidianas ægerrime remediis ce- „ dere, tœdii, & periculi plenas eſſe, „ ac dormiendi pœne inexpugnabi- „ lem neceſſitatem ſecum habere. „ Epidemias, pernicioſasque quotidianas adnotarunt Ramazzini, Schrökius, & diverſi alii. Videatur quoque caput noſtrum ſecundum Caſu 3. ubi quotidiana remittens An. 1759.

caro

caro ſtipatas ſequenti vero anno lethargo quaſi ſociata, refertur; Caſ. 8. ubi quotidiana colliquativa ſiſtitur; Caſ. 22, ubi enormem ſecum habuit Diarrhæam. Quartanas vero, ſi velis perniciosas, carum ex quartana notat Foreſtus L. 4. obſerv. 39. Comatorum affectum, apoplexiæ ſimilem in quartana obſervavit Bianchi Hiſt. hepat. pag. 751. ſoporem cum convulſionibus ante manifeſtatum quartanæ typum refert Schelhamer de Nat. p. 275. In febribus acutis, & chronicis, quotidianis, ſemitertianis, quartanis lethargum vel ſemel graviſſimo cum periculo, vel iterum, iterumque per periodos contingere, docet Ætius Tetrabibl. 2. Serm. 2. Cap. 3. Narrat Tortus Therap. ſpecial. L. 1. C. 10. quartanam poſt aliquot acceſſiones in vigore paroxyſmi motu tremulo, ac ſubſultu tendinum, ſingultu, aliiſque truculentis ſymptomatis horrendam; aliam L. 3. C. 5. tractu temporis valida Diarrhæa, ac vomitu corpus immaniter extenuantem, ac debilitantem; graviſſimam de-

denique aliam, & prorſus ſtupendam in triplicem verſam L. 3. C. 6. Confer caſum noſtrum 21. & pag. , ubi inter alia de pernicioſa etiam quartana cum delirio, & animi deliquio mentio occurrit.

8vo. Commune illud epidemicas, malignasque febres intermittentes, ſeu potius de earum genere remittentes habere cum omnibus aliis populariter graſſantibus morbis, quod in ejusdem licet Epidemiæ decurſu, diverſis tamen annis, immo diverſis ejusdem anni temporibus, diverſos quoque mores, atque ſymptomata affectare ſoleant. Ita An. 1759. febres illæ plerumque acutorum, & inflammatoriorum morborum proprietates præ ſe ferebant, veluti calorem immanem, mordacem, ſiccitatem cutis, & linguæ inſignem, nullo ſæpe ſudore, vel udore minimo, ad finem quamvis vergente paroxyſmo, emendatam; ſitim, nullo fere potu mitigandam; dolores lateris acutiſſimos; deliria, comma, carum, naturæ, ut ajunt, calidæ &c. Confirmabant pulſus durus,

rus, fortis; reſpiratio anxia, dolens; venæ ſectio neceſſario toties adminiſtrata, & iterata; ſymptomatum inde levamen notabile; ſanguis, vena eductus, cruſta lardacea, pleuriticis familiari obductus, aut compactus adeo, & ſolidus, ut cultro diſcindi vix potuerit; cura palliativa antiphlogiſtica neceſſaria, & utilis. Anno autem inſequenti, febrium potius putridarum genium æmulabantur, quæ putridam humorum diſſolutionem, ac corruptionem progignunt. Huc ſpectant virium ingens paucorum dierum ſpatio jactura; frequens animi exſolutio; præcordiorum oppreſſiones, dolores, & anxietates immanes; ſudores vel in acceſſionis principio profuſi, circa ſuperiora quandoque frigidi; venæ ſectionis nulla indicatio, &, ſi a balneatore temere celebrata fuit, vires magis adhuc dejiciens, nihil morbum minuens, pulſus celer, parvus, debilis, ſubinde contractus, & inæqualis, neque in caloris ſtadio multum aſſurgens; facies ſquallida, enormiter mutata; cura denique exacer-

cerbationis tempore cardiacis, & roborantibus peragenda. Ingentem etiam harum febrium eodem anno mutationem, ut in capite primo monui, diverſo anni tempore licuit obſervare.

9no. Id vero peculiare præ cunctis aliis popularibus morbis ineſſe noſtris epidemicis febribus, quod, cum illi non ſolum pro diverſitate conſtitutionis, & locorum, ſed in ejusdem etiam Epidemiæ curſu, iidem quoad habitum, & mores in eadem plaga graſſantes morbi, multo tamen diverſam hoc, quam alio tempore medelam poſtulent; intermittentes, vel de earum genere remittentes epidemiæ febres, quocunque colore ubiquaque ludant, quorumcunque vel pernicioſiſſimorum ſimulent, induantque morborum naturam, eodem plane, atque unico remedio, Peruviano nempe cortice, delphico veluti gladio, nullo non tempore certo certius jugulentur. Infallibiles hujus veritatis teſtes adduco, Viros in Medicina graviſſimos, in praxi verſatiſſimos, Sydenhamum, Mortonum, Tortum, Werlhofium,

Hux-

Huxhamum, aliosque complures, qui innumeros pœne mortalium ab imminenti ex ejusmodi malignis febribus interitu feliciſſimo, ac ſtupendo ſæpe cum ſucceſſu vindicarunt.

10mo. Hac tamen ſorte non item frui febres, quamvis remittentium, aut plane intermittentium more ab initio exacerbatas, poſtliminio autem in vere continuas acutas mutatas; utpote in quibus, ut & aliis continentibus, ardentibus, vel & remittentibus non tamen ex intermittentium familia febribus, ſpecificam corticis Peruviani virtutem manifeſto deficere, non ſine gravi dolore experimur.

CAPUT IV.

Signa harum febrium diagnoſtica.

Vidimus igitur, quænam præprimis intermittentium, aut remittentium malignæ, & Epidemicæ eſſe conſueverint; vidimus quoque, quanto ſæpe cum periculo, quantave cum

acu-

acutie decurrant; vidimus insuper, quam subdolæ, & aliorum longe, ac diversissimorum morborum larva perperam tectæ, frequenter incedant; vidimus denique, quantopere intersit, reconditas ejusmodi, perniciosasque febres mature, citius saltem detegere, quam deleterio suo effectu ægrotantes aut plane neci jam tradiderunt, aut in mortis jamjam confinia transtulerunt Signa idcirco summa cum diligentia inquiramus oportet, queis tempestivæ in apricum illæ deduci, sicque detectæ, domitore suo quantocyus possint debellari.

Quamquam innumeri fere scriptores Medici pernicialium tam intermittentium, quam remittentium febrium fecerint mentionem, ea tamen apud plurimos non nisi superficiaria est, & perfunctoria. Perpaucos invenies, qui amplius, & pro rei, ingentis sane in Medicina momenti, dignitate hanc materiam pertractarunt. Horum autem Antesignanus jure merito salutandus est Ludovicus Mercatus, Medicus Hispanus, sæculo decimo sexto

celeberrimus, Philipi II. & III. Regum Hiſpaniæ Archiater, qui inſignem de pernicioſis Tertianis tractatum de febribus Lib. 6. inſeruit. Integri abhinc ſæculi intervallo de ſimilibus, quas obſervavit febribus, ſed hemitritæis, libellum conſcripſit Reſtaurandus, quem nomine Hippocratis de uſu chinæ chinæ inſignivit. Primus is fuit, qui Peruviano cortice eas aggreſſus, proſpero cum ſucceſſu edomuit. Reliqui ſunt Sydenham, Morton, Tortus, Werlhof, & Huxham. Signa proinde, quibus clariſſimi hi, atque de Republica Medica meritiſſimi Viri ad tectas ejusmodi, ac pernicioſas febres dignoſcendas uſi ſunt, in medium proferam, & pro curta ingenii mei ſupellectile, tenuique hoc in genere morborum experientia, paululum disquiram. Audacula quidem, & perardua, quam hic ſuſcipio, dijudicandi eſt provincia; verum dum de corio humano agitur, & circa graviſſimos, ac ſubito quandoque letales morbos cauſa verſatur, nulla autoritas,

ritas aut nominis fama, ſed ſola, atque unica veritas locum teneat oportet.

Examinemus primo ſigna Diagnoſtica a Ludovico Mercato aſſignata, qui ſic ait loc. cit.: "Monſtrant quidem Tertianam fore perniciosam
„ gravia quædam, ac perniciosa ac-
„ cidentia, quæ ſtatim primo acceſſu
„ neceſſum eſt hæſitabundum reddant
„ Medicum. Hujus naturæ eſt labo-
„ rantis vultus prima acceſſione ca-
„ daveroſus, aut nimis tumidus, cum
„ pulſus inæqualitate, parvitate, de-
„ bilitate, aut interceptione, vel
„ aſphyxia. Urina nimis craſſa, &
„ pravi coloris, inquietudo inſolita,
„ anxietas, ſyncopes, animi deli-
„ quium, exſolutio, & frigidi ſudo-
„ res, vel toto acceſſionis tempore
„ inordinati rigores, difficiles reſpi-
„ rationes, deliria, aut ſomni pro-
„ funditas, vomitus etiam æruginoſ-
„ ſus, paucus, cum gravi nauſea, &
„ qui non confert. Alvi fluxus, pin-
„ guis, dyſentericus, variegatus, aut
„ ſinceri humores, ingens totius cor-
„ poris gravitas, aut inquietudo, &

„ ſitis, quæ nullo potu ſedatur - - . Funeſta ſane hæc ſigna ſunt, & ominis peſſimi. Sed quis quæſo Medicorum ad ægrum ſimiliter affectum prima jam morbi die accitus, tertianam potius pernicioſam, quam febrim acutam vere putridam, ac malignam, ex ſolis illis ſymptomatis præſagire audeat? Vel quis ægrum, horrore aliquo præegreſſo, impenſe febricitantem cum pulſu duro, dolore lateris acuto, reſpiratione difficili, dolente, tuſſi moleſta, dolorem immaniter augente; ſanguine ipſo, qui vena educitur, inflammatoria cruſta denſe obſito, quis inquam taliter ægrotantem, quales mihi & aliis obtigere caſus, in prima acceſſione videns, nullo alio nixus ſigno, non vera laborare pleuritide, ſed tertiana ſolum pernicioſa, pleuritidis larva induta affectum eſſe, divinare præſumat?

Majoris autem momenti ſignum eſt, quod mox ſubjungit Mercatus: "ſed
„ præcipuæ (pergit) tertianam per-
„ nicioſam eſſe oſtendunt hæc ſigna,
„ & alia, quæ cæteris tertianis ſunt

„ com-

„ communia, cum ab eis nondum ex
„ toto in die quietis liber evadit la-
„ borans : ſic etenim malum porten-
„ dit delirium, aut ſomnus ; qui uſ-
„ que in diem quietis protrahuntur :
„ item eadem die languidos, inquie-
„ tos, anxios, & ſiticuloſos ſuper-
„ eſſe laborantes, aut alio quovis ac-
„ cidenti oppreſſos, quantumvis fe-
„ bris vel leviſſima, vel nulla appa-
„ reat."

Juſta profecto & gravis ſuſpicio ſubdeliteſcentis febris intermittentis, vel de hujus familia remittentis, naſci debet Medico, dum ægrum, quem heri plus minus febricitantem, ac valida cholera correptum, aut alto ſopore, & quaſi caro demerſum, aut ab ingenti cardialgia in animi deliquium, lapſum, ac relapſum, aut acuto lateris dolore cum tuſſi &c. vexatum inviſit, hodie, quamvis pulſus plane nihil aut parum febrilis ſit, nihilominus vomentem adhuc, & dejicientem, licet parcius, rariusque, vel ſomnolentum, & ſtupidum, vel de præcordiorum oppreſſione, & dolore

multum adhuc conquerentem, vel lateris dolore, & tussi haud levi, etsi multo mitiore affectum, viribus notabiliter exhaustum, cum facie graviter immutata deprehendit: verum utut grave hoc signum sit, & frequenter obtineat, haud raro tamen usui esse nequit, aut prorsus illo destituimur.

Ac primo quidem, quamvis horrenda illa symptomata, quæ infinita propemodum diversitate has febres comitantur, atque occultant, die sequenti multum remittant, febris tamen ipsa plerumque, minor utvis, ac pridie, valida tamen perseverat, veluti ex allatis Cap. 2. historiis manifesto apparuit; hinc si nihil aliud coindicet, nostra potius medela, & adhibitis remediis vim morbi, quem hæ febres referunt, infractam, quam remissionem ipsius tertianæ latentis esse, judicare possumus, ac plerumque solemus. Atque ita febris re ipsa præsens, & ex pulsu manifesta, febris naturam & indolem tegere potest, & obscurare. Præterea dantur ejusmo-

di

di perniciosæ intermittentes, ubi simul cum febre gravia etiam, quibus stipata erat, symptomata, die altera penitus evanescunt. Narrat supra memoratus Clariss. Archiater Antonius Störk in Anno Medico secundo sequentem casum: " Fuit vir triginta
" annorum, qui omni alterno die cir-
" ca nonam matutinam per totum
" corpus sensit horrorem, dein fri-
" gus ingens, tandem pectoris sum-
" mam angustiam, & pulsus depre-
" hendebatur admodum febrilis. Re-
" mittente frigore ingrata aderat fau-
" cium siccitas, & titillatio, hanc
" tussis siccissima, & violentissima ex-
" cepit, intumuit facies, livuerunt
" labia. Tandem tussi prodiit co-
" piosissimus, spumosus sanguis, &
" mox cessavit titillatio, pectoris an-
" xietas, & æger longe melius ha-
" buit, & sensim siluit tussis, & spu-
" tum sanguineum. Finito paroxys-
" mo nullam omnino molestiam æger
" conquestus est, nec respiratio vi-
" debatur difficilis, & vires fuerunt
" satis bonæ, viguitque appetitus - - .

Imo egregie adeo ſe habent quandoque ægroti, gravibus ejusmodi paroxyſmis perfuncti, ut non ſolum de lecto ſurgant, ſed & ſanorum inſtar foris ambulent, & negotia ſua commode peragant, ſequenti vero acceſſione febris letum oppetant inexſpectatum. Teſtatur id eruditiſſimus Werlhof in obſerv. de febribus Sect. I. §vo. 6. dum ita ſcribit: " In diverſis
" caſibus ille ſtatim ſomnus, pericu-
" loſioris prodromus ita ſopivit æ-
" grum, ut vel ægre, & cum delirio,
" vel plane non ante finitum paro-
" xyſmum vigil ſervari potuerit;
" quantumvis poſtmodum ὀρθοςάδιος,
" immo vel ſani inſtar foris ambulet.
" Memini mulieris viduæ, nondum
" quinquagenariæ, quæ in publico
" ſub veſperam obviam facta, me ro-
" gavit, ut ſe inſequenti die inviſe-
" rem, quia febris paroxyſmum ter-
" tium exſpectaret. Hodie, inquit,
" egregie purgata ſum a medicamen-
" to, ſub heſternam noctem ſumto.
" Acceſſi altera die, & quidem rur-
" ſum ocyus petitus, atque non ſo-

" lum

" lum impense febricitantem, sed &
" apoplecticæ instar immobilem, &
" stertentem reperi: neque expergefieri
" ullo modo potuit, sed sensim
" elanguente respiratione, & pulsu
" exspiravit. Toto præcedente paroxysmo
" blande dormire visa erat,
" neque vigilias urgere voluerant,
" qui adstiterunt: nescio, an potuissent
" - - - .

Minime ergo ad Diagnosin harum febrium sufficiunt, quæ nos Mercatus signa docuit, exploremus porro alia, quæ a citatis supra Autoribus nobis suggeruntur.

Varia adducit signa Doctiss. Werlhof; in compendio ea refert, paulo fusius antea exarata, dum sect. 2. his verbis inchoat: " Ergo quoties sub
" hoc statu Epidemio, in priorum paroxysmorum
" aliquo ægrum, maxime
" seniorem, vel debilem, sopitum
" præter naturam, aut cardialgia
" affectum sed quæ cum febris accessione
" declinavit, aut deinde stupore
" aliquo occupatum observavimus,
" aut urinæ vitium notavimus,

„ quale ſupra deſcriptum eſt (urinam nempe craſſam, coloris intenſi, ſubfuſci, lixivii, in quibusdam ad nigrorem vergentis, & innatante quaſi pinguedine aliqua, valde etiam foetentem, præſertim cum frequenti mictuoritione & dyſuria, aut ſtranguria prodeuntem, & tunc interdum naturali ſimilem," vel ſanguinem vena edu-
„ ctum, variegatum, putridum, ſe-
„ ro copioſiſſimo, aut in liquamen
„ ſpiſſius, aut cruſtam pleuriticam,
„ nondum tamen præſente inflamma-
„ tione coagulato abundantem cogno-
„ vimus, vel ægroti corporis, præ-
„ ſertim inepto pharmaco turbati
„ conſtitutionem ita, uti antea mo-
„ nitum eſt, comparatam, & hepa-
„ te maxime, ac cerebro ægre affe-
„ ctam judicare licuit, ut pro febris
„ vehementia, vel hic, vel alius pe-
„ riculoſus affectus jure ſuſpicandus
„ eſſe videretur.

Antequam hæc ſigna diſpiciamus, præmonendum primo eſt, de ſoporoſis maxime, ut & cardialgicis febribus intermittentibus agere Werlhoſium

ſium, hinc etiam, quæ adfert, ſigna ad ejusmodi præcipue febres detegendas valere; dein in certa ſolum ac ſpeciali, quæ Germaniam per annos aliquot infeſtavit, illarum febrium epidemia eum prævia hæc ſigna obſervaſſe; Illum denique præſupponere, prægreſſos jam eſſe paroxyſmos aliquos, intermittentis cujusdam, aut remittentis typum manifeſto indigitantes, & graviore quodam ſopore, aut cardialgia, vel alio ex recitatis modo ſignis affectos.

Verum illud omnino eſt, ac plerumque obtinet, ut levior unus, alter, pluresque paroxysmi præcedant; tertiæ autem, quartæ, quintæve accessioni ſopor profundior, vomitus, diarrhæa, dyſenteria, cholera mitior, graves præcordiorum oppreſſiones, leve animi deliquium &c. improviſo ſuperveniant, quæ inſequenti exacerbatione in Comma, ſeu Commatodes, ſeu Agrypnodes, Carum & Apoplexiam, aut Diarrhæam, Dyſenteriam gravem, Choleram ſævam, veram Syncopem cum notabili vitæ diſcrimine deſinant. Sed etiam non-

nun-

nunquam nec raro quidem contingit, ut absque præcedente intermittentis, aut remittentis cujusdam febris periodo, acutissimus lateris dolor, convulsiones epilepticæ, apoplexia ipsa sanos ante temporis momentum homines illico cum præsentaneo subinde vitæ periculo corripiant; cujusmodi exempla secundo capite recensui, & plura refert in Pyretologia sua celeberrimus Morton. Simili via incedentes febres Sydenham quoque observavit, quas ita exponit in Epist. 1. Respons. " earum paroxysmi non
" cum rigore, & horrore, quos postea
" febris excipit, invadebant, sed
" æger iisdem plane symptomatis ten-
" tabatur, ac si vera apoplexia la-
" borasset, quæ tamen nil aliud esset,
" utcunque hunc effectum æmulare-
" tur, quam ipsa febris caput im-
" petens.

Quod autem ex urinæ vitio Werlhofius desumsit signum, paulo inferius rimabor. Sanguis variegatus, dissolutus, aut in spissam crustam concretus, quem soporis causa detraxit, quam-

quamvis in Epidemia illa ſignum eſſe potuerit pernicioſæ febris, & magnam humorum corruptelam ex ſe ſignificet, non adeo tamen ad Diagnoſin aliarum ejuſmodi febrium facere videtur, præcipue cum pluries in illis, ut evacuetur cruor, nequaquam jubeat, immo vetet indicatio. Quod ægri regnante talium febrium epidemia, licet levioribus laborent, incongruis pharmacis turbatis, horrenda, ac periculoſa ſymptomata multoties incurrant, veritas eſt, heu! nimium confirmata. Attamen & ægri, congrua medela uſi, exitioſis febribus, dominante Epidemia corripiuntur. Hepate denique, & cerebro ægre affectos, cardialgicis, & ſoporoſis febribus, tunc temporis popularibus multum fuiſſe obnoxios, uti vero quam maxime eſt conſentaneum, ita cum Hyppocratis, aliorumque veterum obſervatis apprime convenit. Eadem cæterum difficultate hoc ſignum premitur, ac prius memoratum.

Adhuc dum igitur nobis ſignum deeſt, harum febrium παϑογνωμονικον.

In

In urina lateritium gerente ſedimentum illud ſe inveniſſe putarunt Viri in Arte verſatiſſimi Sydenhamus, atque Mortonus. Pondus profectò maximum addit urina tum tali ſedimento, &, ſi cum aliis cum jam enarratis, tum impoſterum recenſendis ſocietur ſignis, nullum amplius dubium, de perniciosæ intermittentis, vel de illius genere remittentis latentis febris præſentia relinquit: immo ſola hac urina conſpecta, nullo alio (ſi ſtatum excipias epidemium) concurrente ſigno, febrem ejusmodi audacter mihi licuit determinare. Id tamen fateri oportet, hoc urinæ ſedimen vel in perniciosiſſimis his febribus quandoque deſiderari, urina aut rubra admodum, & tenui, aut turbida exiſtente (quo craſſa, ac lixivia urina a Mercato, & Werlhofio obſervata, referenda videtur) aut a naturali conditione vix quidquam declinante. Primo anno noſtræ hujus Epidemiæ in omnibus, gravius decumbentibus ægris, quorum urinas intueri datum eſt, ſedimen illud lateritium appa-

apparuit. Anno vero ſequenti non niſi rubram cum craſſa nubecula, aut tenuem aquoſam, aut fere naturalem urinam per integrum morbi decurſum aliquoties obſervavi, quemadmodum ex allatis capite 2 hiſtoriis conſtat. Ergo urina ſignum quidem præbet, ſi ſedimen memoratum ſecum ferat, fere infallibile, attamen cum in graviſſimis febribus eo careat ſubinde, minime perpetuum.

Annon igitur optima eſſet Huxhami norma, qui ad morbi decurſum diligenter advertit animum, quem ſi periodicum una, alterave vice deprehendit, cortice quantocyus uſus eſt, non exſpectato urinæ ſigno? Sane ſi ægrum v. c die lunæ valida cum febre dolore lateris vexatum, aut pulſu vix febrili in animi deliquium lapſum, aut profundo ſopore oppreſſum inviſimus, die Martis illum multo melius ſe habentem, die tertio eodem circiter tempore denuo exanimem commatoſum, aut acute latere dolentem reperiamus, & eadem ratione die quinta, non eſt, cur dubitemus

temus ultra, perniciosam, illius morbi larva indutam delitescere tertianam. Ast ea sors non semper nobis obtingit, cum altera quandoque accessio, a qua lucem præstolatur Medicus, perpetuis ægrum tenebris immergat, quemadmodum funesta docet ægri septimi historia. Quæ res signum quoque urinæ gravat; quippe sæpe vel inscio se commingente ægro apoplectico aut urina ægroti ex eorum, qui adsistunt, incuria non asservata, signo inde desumendo destitutus Medicus, moram ideo trahit, ægrotanti letalem, recurrente denuo febre apoplectica interempto.

Tandem quoque plurimum ad perniciosas hasce febres detegendas facit Epidemica earum constitutio, & illius indoles manifesto detecta. Hac ego sola basi nixus, omnibus aliis signis destitutus, ægros quandoque vindicavi, & ægro septimo, ex appoplexia evigilanti corticem illico præbui, quem si sumsisset ille, nullus dubito, quin ipse, ut omnes reliqui, malignis

his

his febribus laborantes, vitam ſanitatemque ſervaſſet.

Verum neque hæc regula omni caret exceptione. Qui enim locum inveniat, ubi non niſi ſolitarie, atque aliis longe morbis dominantibus, homines invadunt febres ejusmodi, prout complures ex iis, quos capite tertio retuli, Autoribus obſervarunt; aut periodum primo inchoet earum Epidemia? Huc accedit, quod nullus fere ſit morbus, nullum certe ſymptoma, quod protheiformes iſtæ febres non exacte norint æmulari. Ipſe quoque, quo aggrediuntur, modus diverſus plane eſt, ac demirandus. Etenim nunc ſubito ſub graviſſimorum ſpecie morborum, velut apoplexiæ, choleræ, ſyncopis, & aſphyxiæ &c. tragœdiam inchoant, & ad funeſtum, niſi cito, & efficaciter ſuccurras, finem perducunt: nunc benignarum adeo intermittentium, vel remittentium more incipiunt, ut illico eas jugulare, piaculum eſſe videretur. Prægreſſis autem mitioribus aliquot

paroxyſmis, grave quoddam, & periculoſum ſymptoma, cardialgiam, leipothymiam, comma &c. ſibi aſſociant; inſequente poſthac acceſſione, cardialgia in validam ſyncopen, commate in carum verſo; vel ægrum trucidant, vel in maximum ſaltem vitæ periculum conjiciunt, futura exacerbatione, ni mature tuleris ſuppetias, procul dubio perimendum. Pulchre id inſinuat egregius Werlhoff. S. 1. §. 6. „ Tam egregie hæ
„ febres intermittentem, vel remit-
„ tentem benignam ſimulant, ut vix
„ aliquo ex ſigno certo triſtis even-
„ tus prænuntiari poſſe videatur:
„ præcipue, quum morbi ingenium
„ generatim non videatur malignum,
„ ſed potius innumeri, ſub eodem
„ ſtatu epidemio feliciter, facileque
„ cum quavis medendi methodo e-
„ mergant, in quibus fere eadem
„ omnia in principio notantur. At-
„ que id ipſum eſt, quod multos ita
„ decipit, ut, quum vulgatum quod-
„ vis remedium, vel temerarium
„ etiam molimen feliciter in tot cor-

„ po-

" poribus cedere videant, ibi etiam,
" ſuis ſiſi experimentis, vel naturæ
" & medelis incertis rem commit-
" tere, vel vehementibus pharma-
" cis & turbulentis auſibus ægros
" aggredi ſuſtineant, ubi ipſum,
" hoc, de quo nobis ſermo eſt.
" ſymptoma, vel quodlibet aliud
" vere metuendum eſt periculum.
" Enimvero cum haud paucis expe-
" rientia probet exemplis, has fe-
" bres, harumque cauſam ægros in
" varia diſcrimina, & in hoc etiam
" periculoſiſſimum ſymptoma ſeni-
" lium corporum plura, & juvenili-
" um nonnulla improviſo adducere,
" aptam natam eſſe; caute utique
" nec ſine aliqua formidine, ſub
" ejusmodi ſtatu epidemio, ſalubrita-
" tem & ſecuritatem febris creden-
" dam & prædicandam eſſe conſtat.
" Expedit potius, minutiſſima quæ-
" vis indicia ubivis explorare. Si
" usquam alibi, certe in hac fallaci
" benignioris morbi ſpecie clinica
" praxi opus eſſe videtur.

Nullum itaque ex omnibus, quæ modo examinavimus, ſignis ſeorſim ſumptum, aut infallibile eſt, aut præſens perpetuo. Diagnoſin tamen pœne indubiam pernicioſarum hujusmodi, tectarumque febrium ſuppeditabunt; Medicum ſaltem omni ex parte ſecurum reddent illa, ſequenti modo applicita. Ac primo quidem, & quod plerumque obtinet, ſi malignæ hæ febres, decurſa aliquoties ſua periodo, intermittentis, vel remittentis cujusdam typum manifeſto prodiderunt, & quamvis mites primis in acceſſibus, atque ſecuræ viſæ, tertio vero, quarto, quintove paroxyſmo inſolitum quoddam, ac grave ſymptoma, ut ſoporem profundiorem, cardialgiam vehementem, animi deliquium, vomitum, aut Diarrhæam frequentem, & vires notabiliter proſternentem &c. ſecum habeant, ſive penitus cum febre illud ſymptoma ceſſet, atque intermittat, ſive perduret, paulo mitigatum, & tantum remittat; ſeu ſedimen lateritium gerat lotium, ſeu mi-

minus; ſive epidemica talis eo tempore dominetur conſtitutio, ſive ſporadice incedant, minime amplius feriandum eſt, ſed illico ἀπυρεξίας aut remiſſionis intervallo ſufficiens Peruviani Corticis quantitas exhibenda, ne, ægro ſequenti exacerbatione enecto, turpe illud Medici ſuperſit effugium. Quis hoc crediſſet?

Si vero, quod non raro licet obſervare, morbus jam incipiat cum gravi vomitu, Diarrhæa valida, commate profundo, delirio vehementi, cardialgia in Leipothymiam, vel Syncopen deſinente, convulſionibus epilepticis &c. eaque mala ſequenti die aliquantum remittant, aut plane ceſſent, niſi urinæ ſignum ſimul adſit, vel epidemica talis conſtitutio, exigua ſane, ſi tamen ulla pernicioſæ intermittentis, aut remittentis eſſe poteſt ſuſpicio; neque jure quis accuſabit Medicum, qui morbum, prout apparet, aggreditur, licet funeſtus, atque letalis jam alter redeat acceſſus. Dum autem die ſe-

da, tertia, quarta ſupra memorata exacerbantur ſymptomata, denuoque remittant, aut aboleantur, nil eſt, quod deſideret amplius, vel exſpectet: firma enim ratione nititur, propter quam febrim, ex periodico decurſu jam manifeſtam, cortice quantocyus expugnet. Verum ſi ita obſcure, uti deſcripſi, ſit morbi prima, vel altera die facies, urina vero lateritium vehat ſedimentum, aut ſimilis dominetur Epidemia, merito oriatur oportet ſuſpicio tectæ ejusmodi, ac malignæ febris, quam cortice ſine mora jugulet.

Porro ſi ſub acuti & inflammatorii morbi habitu, quod haud infrequenter contingit, cum dolore lateris acuto, pulſu duro, tuſſi moleſta, cruore, qui educitur phlogiſtica cruſta obſito &c. hæ febres decurrant, eas periodica ſymptomatum, ac febris exacerbatio, atque remiſſio paucorum ſpatio dierum patefacient, præcipue ſi urinæ ſignum, & epidemiæ indoles accedant; & inſons profe-

fecto non erit ille, qui corticem mature non suppeditarit.

Denique si homo sanus antea (utinam hypothesis hæc esset potius, quam veritas non rara experientia confirmata!) apoplexia forti subito sternatur, aut enormi cholera viribus, & tumoribus paucis horis exhauriatur; luce vero altera secundis avibus adeo solvatur illa, ut non nisi loquelæ difficultas, & stupor sensuum remaneat aliquis, hæc ita mitescat, ut vomitus rarus, moderata supersit dejectio, dummodo in casu simili signum illud urinæ adsit, aut haberi possit, vel perniciosarum intermittentium, remittentiumve tum regnet Epidemia malignam ejusmodi subesse febrim, omnino est, quod suspiceris, ideoque corticem exhibere, nec vel minimum moreris. Attamen urinæ si desit signum, epidemia illarum febrium nulla obtineat) jure arguit, nequit Medicus, dum ægrotans redeunte stata hora apoplexia, vel cholera vitæ patitur dispendium: hoc tamen salva vita eximen-

ti naufragio adhuc emergente, febris ex periodico decursu jam manifesto patens, domitore suo actutum coerceatur.

Postremo, quando gravia quædam symptomata, ut vomitus, diarrhæa, dyssenteria, dolor Rheumaticus, Hemicrania &c. ægros aliquamdiu affligunt, neque diversis, ac præstantissimis quibusque remediis vel minimum cedunt, quamvis nihil prorsus regularis, quoad mali exacerbationem, aut remissionem appareat, dummodo urina sedimen ponat lateritium, aut populariter grassentur intermittes, vel remittentes febres, suspicioni locus datur insignis, febrilem subdelitescere genium, quem Peruviano cortice facile, & unice debellabis; qualem casum in Histor. 14. retuli. Pro coronide demum notandum venit, diligenter quoque animadvertendum esse in peculiaria febrium ejusmodi epidemicarum signa, quemadmodum fecit solertissimus Werlhof. In nostra autem hac febrium epidemia, quantamcunque adhibuerim dili-

ligentiam, ſingularia quædam ſigna non potui deprehendere.

CAPUT V.

Cauſæ noſtræ hujus conſtitutionis, & nonnulla adhuc de Cortice Peruviano.

EPidemicorum morborum ἀιτιολογίαν in extricandis ſæpe difficultatibus eſſe involutam, neque ex Annorum conſtitutionibus, a ſolita ſibi Temperie, ac habitudine diverſimode, graviterque aberrantibus ſemper, uti multi arbitrantur, erui poſſe, præter alios acuratiſſimus, ac ſeduliſſimus naturæ Scrutator, qui inſtar plurium ſit, Sydenhamus hinc inde in ſuis operibus, præcipue vero Sect. 1. Cap. 2. teſtatur: „ Quamvis autem „ (inquit) diverſas diverſorum Annorum habitudines, quoad manifeſtas aeris qualitates, maxima, „ qua potui diligentia notaverim, „ ut vel exinde cauſas tantæ Epide-

 mi-

„ micorum viciſſitudinis expiſcarer, „ me tamen ne hilum quidem hactenus promoveri ſentio; quippe qui „ animadverto, annos, quoad manifeſtam aeris temperiem ſibi plane „ conſentientes, dispari admodum „ morborum agmine infeſtari, & vice verſa. Ita enim ſe res habet. Variæ ſunt nempe Annorum conſtitutiones, quæ neque calori, neque „ frigori, non ſicco humidove ortum „ ſuum debent. „ Hinc cum neque in telluris ſuperficie, neque in atmoſphæra ipſa, quæ nocivam aeris affectionem efficiat, veram ſolidamque cauſam invenire queat nunc ad ima terræ viſcera deſcendit, e quibus noxia ſurgere effluvia, quæ aerem & hoc mediante noſtra corpora contaminent opinatur; nunc ad ipſos globos cœleſtes elevatur, quorum peculiari, & ſiniſtro influxu atmoſphæram alterari, ſuſpicatur.

Id omnino in deſcripta harum febrium Epidemia verum deprehendi, illam Annorum conſtitutionibus, liceat conſueto ſibi more, quoad æſtum,

tum & frigus, ſiccitatem vel humiditatem non nihil recederent, omni ex parte minime poſſe imputari. Quæſivi etiam ex maxime longævis ruſticis, & Balneatoribus, qui per annos plusquam triginta ſuam hic locorum artem exercuerunt; neque ullus eorum ſimilium intermittentium, aut remittentium febrium ſe meminiſſe aſſeveravit, quamvis tanto temporis intervallo, ſimiles ſubinde temporum viciſſitudines, ac conſtitutiones adfuiſſe haud ſit improbabile.

Illud vero fatendum eſt, non ſalubrem adeo Laxemburgi, villorumque vicinorum eſſe plagam, eamque præprimis Scorbuto, & intermittentibus febribus multum eſſe obnoxiam. Complures id probare videntur rationes.

Primo humilis, ac depreſſa planities a Cetii Montibus, qui ex Occidente nos undique cingunt, quaquaverſum ad Hungariæ usque confinia extenditur, in qua Laxemburgum, & plura alia oppida cum pagis numeroſis ſita ſunt.

Dein

Dein aquæ ſubterraneæ tam propinquæ ſunt ſuperficiei telluris, ut vix pedes aliquot terræ effodi queant: quin aquæ illico regurgitent; hinc etiam cellæ vinariæ tam exiguæ profunditatis habentur; ut in æſtate tepeant liquores inditi fermentati, hyeme vero a congelatione vix poſſint prohiberi.

Denique & rivi magno numero hanc planitiem irrigant, qui verno tempore, nivibus in Auſtriæ Alpibus reſolutis, immaniter aucti, agros, camposque adſitos tantopere inundant, ut lacus etiam majores, pagos inſularum inſtar cingentes, hinc inde naſcantur, quæ poſt plures demum ſeptimanas, partim ſolis æſtu, & ventorum agitatione ſenſim exſiccantur, maxima autem parte in terram reabſorbentur, atque ſubtus ſtagna prius memorata ſubterranea conſtituunt. Immo Laxemburgum inter, & Mosbrunnum, quæ milliarii ſemialtero invicem diſtant, a rivis, nimiam aquarum molem verno tempore exonerantibus, lacus ſatis amplus,

ac

ac profundus formatur, qui non nisi in calidissima æstate penitus siccetur. Nemo itaque mirabitur, aquæ potum impurum, & insalubrem incolis suppeditari, quum aut stagna illa subterranea, impuritatibus, innumeris fœcibus referta, puteos impleant, aut rivuli ex præterfluentibus rivis derivati, fœculentam pariter, ac turbidam lympham vehentes. Nam, qui Laxemburgum alluit, Badena decurrit, turbidus, sulphur manifesto redolens, & nauseosus est, &, dum hyeme congelatur, glaciem ex viridi flavescentem repræsentat. Reliqui vero rivi, quum certis machinis, ad ligna ex præcipitibus sylvis permulta milliaria secum devolvenda, adaptata sint, quas a lignis longo sæpe tempore in iis maceratis abluunt, sordibus, fœcibusque scatent. Si porro consideremus, stagna illa, ex aquarum proluvie in superficie soli enata, diuturna mora corrupta, calore solis in vapores roriferos, impuros resoluta, in auras magna ex parte elevari, aer quoque humidis, putri-

dis-

disque exhalationibus redundet, neceſſum eſt. Magis adhuc inſalubrem Laxenburgenſem atmoſphæram redderent, rivus Badenſis, ubi oppidum attingit, in ampliorem alvum, ac ſinum quaſi aliquem effuſus; Lacus ſeu ſtagnum guntramſtorfenſe, ſat magni ambitus, & propinquum; ſylva proxime adſita, & multum extenſa; acceſſum Euro plurimum intercipiens; niſi inquinatum ita aerem, Zephyri, ac boreæ & maximo quidem ſæpius cum furore, at ſummo accolarum commodo, vix non aſſiduo everrerent, atque luſtrarent. Enimvero cum loca depreſſa, paludoſa, humida febrium præ aliis eſſe feraciora, ab omni ævo jam docuerit experientia, & ex ſolidis id rationibus fuſe, & eleganter deduxerit celeber. Lanciſius in libr. de noxiis paludum effluviis, evidenter elucet, viciniæ hujus plagam, ſi non ipſum illud aeri myaſma ſuppeditat, quod febres progenerat, aptiſſimam ſaltem eſſe, ut illud, undecunque aeri ſubminiſtratum fuerit, prompte ſuſcipiat, foveat, atque ſuſtentet. Di-

Dicta hucusque confirmat attenta Epidemiæ hujus consideratio. In locis enim depressioribus; & majoribus rivis adjacentibus longe plures his febribus correpti sunt, quam in editioribus, & rivulis solum irriguis. Dein Laxenburgi multo frequentiores has febres, easque perniciosas observavi, quam in reliquis, licet populosioribus oppidis. Demum in hoc ipso oppidulo illæ familiæ, quarum domicilia rivus proxime alluit, & hinc interni cubiculorum parietes fere semper madent, immo humida obtinente tempestate, aquas guttatim undique exsudant, illæ inquam familiæ præ cæteris incolis gravius, atque diutius iis febribus mulctatæ sunt. Ita in Venatoris nostri Gruber familia Anno 1759. per integrum autumnum Nosocomium quasi videre erat cum modo uxor; modo bina, ternave proles, modo domestici alternatim decumberent, sanescerent, iterum iterumque ægrotarent. Similiter etiam in familia Ardearum Custodis Weinenz

nenz hæ febres nidulatæ ſunt, nam præterquam, quod omnes jam a multis annis, & nuper quoque intermittentibus varie vexati ſint, filius natu major qualiter epidemicis remittentibus, & pernicioſis graviter decubuit, immo e poſtrema febre ne quidem convaluiſſet, niſi humile, humidumque domicilium cum ſicco, & editiore meo ſuaſu, permutaſſet.

Cauſas vero Recidivarum frequentium, ac quaſi ſolemnium quod attinet, quantumvis gravia in ſex rebus non naturalibus, delicta commiſiſſent ægrotis, ſubinde tamen vel ex leviſſimo errore, immo nonnunquam absque manifeſta προφάσει febris reverſa eſt, præcipue ſi convaleſcentes ulteriorem corticis uſum neglexerunt. Videtur autem in his character febrilis, nervoſo ſyſtemati impreſſus, nondum penitus vi corticis deletus eſſe, & obliteratus, ſed remanſiſſe aptitudinem, febrilem diſpoſitionem, leviſſimo, & vix notabili errore concurrente, facile recipiendi.

Atque

Atque hæc de Epidemiæ hujus ἀιτιολογία dixiſſe ſufficiat interim, donec perſpectus magis hic Auſtriæ Tractus, explorata accuratius aquarum, aërisque, quibus hic fruimur, indoles (quæ res futuri, quod dabitur, otii notabilem mihi partem ſuffurabitur) plura, ac certiora ſuppeditarit.

Priusquam tamen finem, de his febribus diſſerendi, faciam, nonnulla adhuc de Peruviano Cortice, quæ vera in iis fuit, & unica ſalus dicenda reſtant

Quod cortex iſte Peruviano auro longe nobilior, atque pretioſior, primis, quibus Europæ innotuit, annis, oſores ſui & adverſarios excitaverit, mirum profecto non eſt, neque inſolens: præterquam enim, quod ſors hæc cum omnibus rebus, aut recens inventis, aut cognitis communis illi ſit, uſus quoque ejus tunc temporis minus congruus, atque intempeſtivus, & hinc longe rarius, ac hodie ſalutaris, immo ſæpe nocivus effecit, ut multi, egregii cæteroquin

Viri, qui aut iniqui novitatum hostes fuerant, aut ſocordes neglexerant quatuor illa cum Phyſices, tum Medicinæ Therapeuticæ fundamenta, Ordinem nempe, Proſecutionem, Seriem, & Viciſſitudinem artificioſam, quæ ut pulchre monet Baco Verulamius, in natura eximie poſſunt ac pollent, & remediorum efficaciam, aut inertiam, utilitatem, vel noxam optime atque unice valent determinare ut multi, inquam, egregii cæteroquin Viri odio corticem habere cæperint, & adverſari.

Verum poſteaquam Sydenham, Morton, Tortus, aliique magni nominis Medici ore, & opere non ſolum ſtupendam tum in multis aliis morbis, tum præcipue in debellandis intermittentibus, & de earum genere remittentibus vel perniciofiſſimis febribus, Corticis efficaciam, omnibus hucusque cognitis ſeu indigenis, ſeu exoticis remediis multis paraſangis ſuperiorem, ſed & ſummam ejus, ac ſecuriſſimam innocentiam evidenter, & innumeris fere exemplis demon-

monſtrarunt, quo fuco, quo rationis velo jacta in corticem convicia iniqui illius detractores celare amplius potuerint, nullatenus comprehendo.

Quanto magis attoniti ſtupeamus oportet, dum vel hiſce noſtris diebus non deſint Medici, qui Cortici Peruviano, tetro veluti veneno ſumme infenſi, ancipiti potius, & incertæ fidei remedio periclitantem ægrorum ſalutem audent committere, quam ut corticem, de cujus tamen vi in febres dictas ſpecifica minime dubitant, heterocliti inſtar virus ipſis ſuſpectum, in uſum revocent, atque ita, dum de ſalute ægrorum vel maxime ſolliciti videri volunt, corticis abſtemii, miſeros in interitum præcipitant. Non vana loquor, non profero ficta. Primo anni præſentis menſe, Reverendo Domino, vicini cujusdam oppidi Parocho, febre epidemica graviter decumbenti, medicatus ego talia expertus ſum. Hæc autem fuit morbi, reique facies. Horripilationem calor excepit cum ma-

gna virium, & appetitus proſtratione, ſiti multa, vomitu difficili, & flatibus immani copia ſurgentibus. Quod plethoram ſuam noviſſet æger, ipſe ſanguinem e brachio educi curavit, quem dum cruſta denſa inflammatoria obductum viderem, pulſum durum, plenum tangerem, ægrotus difficulter reſpiraret, tuſſiret, & acutis ſive pectoris, ſive faucium morbis ſe obnoxium eſſe referret, pro febre continua acuta, pulmones maxime invadente, paucis pro peripneumonia vera habui, ideoque cruorem denuo detraxi, rurſum phlogiſticum, & diluentia, nitroſa, antiphlogiſtica præter decoctum pectorale, exhibui. Sed tertia jam morbi die Diagnoſin mutavi; urinæ enim lateritium ſedimen, morbi, ac ſymptomatum notabilis remiſſio, & exacerbatio atque epidemica conſtitutio duplicatæ tertianæ, ſed irregularis admodum præſentiam manifeſto arguebant, & cum in ultima exacerbatione æger primo abſque ullo horrore, per horas debilis adeo fuerit, & circa præcordia an-

anxius, ut, admotis aſſiduo cardiacis, vix ab animi deliquio prohiberi potuerit, flatibus ſimul enormiter vexatus; vehementer dein incaluerit cum mentis emotione, ſenſuum ſtupore, & commate agrypnode; profundo demum ſopore cum ſtertore aliquo merſus, leviter aliquamdiu ſudaverit, mora omni reſciſſa, corticem præbui. Alter tertianæ paroxyſmus media ejus uncia ſublatus eſt, belle ſe ægrotans habuit, &, continuato corticis uſu, eum penitus a febre vindicandum fore, ſpes adfuit haud indubia. Hoc in rerum ſtatu Medicus quidam Viennenſis, Vir ſenio & authoritate gravis, me invito, ægrotante inſcio, ab ejus Superiore, qui de morbo certior factus eſt, in opem mihi adjungitur, cui ægrotationis hiſtoriam, epidemicam ejusmodi febrium hic locorum conſtitutionem, & medelam hucusque a me adhibitam expoſui. Æquo, ac conſentiente animo omnia ille excepit; at, dum corticem me dediſſe, narrarem, & uſum ejus ultra proponerem, illico

ſuccenſuit, ſuumque, quod in corticem gerit, odium, non amplius celare potis, inimicus ſum, inquit, Chinæ Chinæ. Apte tum exclamavit æger: ſed meus non es? Tacite mecum repoſui, certe tuus hoſtis eſt, qui corticis inimicus. Alta tamen voce hæc proferre viſum non eſt, quod Medici ſenioris animum, longævis præjudiciis obturatum, nulloque argumentorum pondere flexibilem, & in craſſam potius altercationem, quæ non niſi in opprobrium & contemptum artis noſtræ cedere ſolet, pronum cognoſcerem. Cauſam vero ſui erga Corticem odii mox ille patefecit, quod nempe in corpore permanens, nec alvo quantocyus eliminatus, noxas inferat graviſſimas; hinc ſi aliquando, quod tamen oppido raro contingeret, cortice utatur, nunquam ſe corticem ſolum, ſed ſemper purgante aliquo ſive Rheo, ſive ſalibus neutris permixtum, ut alvo protinus ejiciatur, ſe exhibere, declamavit. Suſpenſus hæſi, an in indignationem, an commiſerationem

his

his Medici effatis, mulierculàrum, ac rudi vulgi garritum redolentibus, commoverer. Sed identidem tacui ex allatis caufis. Lis tamen nonnulla orta eft, dum de ulteriori morbi cura effet quæftio. Corticem quippe ego fuafi, &, ut panicum depellerem timorem, narravi, a folo, ac puro cortice ægrum ter ea nocte cum euphoria alvum coctam pofuiffe; fin metus omnis nec inde evanefceret, confenfi, ut cum falibus neutris exhiberetur. Sed neque illud ab infenfo corticis hofte impetrare potui. Admifi tandem, rogante ægro, ut arcanum duplicatum, nitrum antimoniatum & alia talia neutra, quæ tanquam divina alexipyreta fenex Medicus extulit, cum lapidibus cancrorum juncta, reliquam morbi curam perficerent, hac tamen conditione, ut, fi paroxyfmus gravis inde rediret, quod certo certius fore prædixi, ad Corticis ufum ægrotans recurreret. Dicta confirmavit rerum fucceffus; acceffio enim æque gravis, immo profundiore adhuc fomno

ſtipata, reverſa eſt. Sanitatis igitur amans æger, lubentiſſime ad corticem confugit denuo, cujus uncia devorata, febris quidem cum periculoſis illis ſymptomatis fugam arripuit, ſed moleſtiſſima, & acutiſſima Hemicrania vices ejus, ac periodos ſubiit, quæ vero ulteriori corticis uſu prorſus evanuit. Atque ſic corticis ope ſanitati reſtitutus eſt æger, vel unius ſeptimanæ ſpatio, qui procul dubio, eodem temporis intervallo, ſalibus nequidquam prohibentibus, verſo in apoplexiam commate, aut vitæ tuliſſet diſpendium, aut ſummum vitæ periculum incurriſſet.

Quot quæſo mortalium, ſaltem pernicioſis illis tertiæ ſpeciei febribus affectorum, Charontis cymbam non intraſſent, ſi hic, vel ſimilis corticis inimicus hic locorum, durante hac Epidemia, Medicinam exercuiſſet? qui tamen omnes, unicum ſi demas, ſua culpa, neglecto cortice, peremptum, vitam hodie vivunt ſaniſſimam. Nec iniqua, ſolutiorque alicui videatur hæc mea dicendi liber-

bertas: nam ſi in ullo morborum genere vita, aut mors ægri in manu Medici verſatur, illud profecto obtinet in malignis ejusmodi febribus, manifeſto patentibus; non enim incertæ, & inſecuræ, uti vere continuarum, & acutarum febrium, illarum prædictiones ſunt, & exitus, ſed omnino certæ, & indubiæ; quippe ſi Peruvianum corticem tempeſtive, ac ſufficiente doſi exhibueris, ægrum certo certius in tuto collocaſti; ſin ejus ab uſu aut inanis timor, aut præjudicium pervicax, aut execranda denique contradicendi libertas, & conſuetudo te prohibuerit, reus eris ægroti, haud indubie perituri.


Jure igitur merito cum Eruditiſſimo Werlhofio Sect. 2. §. 2. hunc in modum exclamo: „ Innumerabili-
„ bus ſummorum Medicorum per in-
„ tegrum, & quod ultra, eſt Sæcu-
„ lum, & univerſam Europam repe-
„ titis, & meis etiam multiplicibus
„ experimentis, quæ primum ante
„ rationis inventionem invenienda eſ-

 ſe,

„ ſe, apud Celſum dicitur, tam per-
„ ſuaſum habeo, quam quod in toto
„ Artis Medicæ ambitu maxime :
„ Corticis Peruviani particulas hu-
„ mano corpori ſano, æque ac in-
„ nocentiſſimum quodvis Medica-
„ mentum vegetabile, moderate ama-
„ rum, & aromaticum ſubadſtrin-
„ gens, innocuas eſſe nequaquam au-
„ tem per ſe nocivas, aut venenatas:
„ quæ vulgi fabula eſt, ex male in-
„ tellectis doctorum quorundam pla-
„ citis, & obſtetricante aliquorum
„ Medicorum errore, vel etiam con-
„ ſilio Medicaſtrorum, Apolline in-
„ vito, nata, & enutrita. Ejus ve-
„ ro virtus omnium manifeſtiſſima,
„ in reſtituenda ſubito œconomia
„ corporis, horrendis ſymptomatis
„ per paroxyſmos turbata, excitare
„ potius ad uſum illius confirman-
„ dum, emendandum, & contra ab-
„ uſus muniendum, vel in aliis et-
„ iam morbis proficuum detegen-
„ dum cordatos Medicos deberet,
„ quam ut Theoria, vel Hypotheſi
„ nimis generaliter definiente, & im-

„ per-

„ perfectis de modo agendi ideis, „ aut præconceptis, futilibusque o- „ pinionibus, ad vituperandum hoc „ Divinæ Providentiæ munus, & „ castrandam generoso præsidio ma- „ teriam medicam, febribus meden- „ tem, seduci se patiantur. „



Errata.

Pag.	Lin.	Pro	Lege.
7.	1.	frequentia	frequentiæ
13.	17.	omnimodum	omnimodam
82.	21.	paroxyſmi	paroxyſmis
37.	20.	hic	hi
50.	22.	hoiedum	hodiedum
82.	11.	quam	quæ
83.	1.	aſcendens	adſcendens
83.	24.	aucutiſſimus	acutiſſimus
88.	3.	reviveſcebat	reviviſcebat
92.	16.	χαρωθη	χαρωδη
118.	6.	exacerbtio	exacerbatio
130.	9.	virumque	viriumque
130.	15.	veſpera	veſperam
130.	26.	qcceſſi	acceſſi
192.	15.	ægrotis	ægroti

OBRIA

Vier